VINDICIÆ LIBERTATIS ECCLESIASTICAE,

DIVISÆ IN DVAS PARTES:

In quarum primâ ostenditur

Appellationes ab Ecclesiasticis Iudicibus in causis ciuilibus inter Laicos motis, in Imperiali Camera non esse interponendas, nec ab ea recipiendas.

Altera scribitur

Contra impios Ecclesiæ Mastyges, illius bona, ac iura vsurpantes.

AVCTORE

IOANNE A CHOKIER, *Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonico, & Vicario in Spiritualibus Generali.*

Cum Indice gemino, vno Capitum, altero rerum.

Ad Ser.mum Principem FERDINANDVM, *Principem Electorem Coloniensem, vtriusque Bauariæ Ducem, Episcopum ac Principem Leodiensem, &c.*

LEODII,
Apud IOANNEM TOVRNAY, Typogr. Iuratum, Sub signo S. Augustini. 1630.

Superiorum permissu.

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

DEI GRATIA ELECTO, ET confirmato Archiepiſcopo Colonienſi, S. Rom. Imperij per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Epiſcopo & Principi Leodienſi, Paderbornenſi, & Monaſterienſi Adminiſtratori, Hildeſimenſi, Berthesgadenſi & Stabulenſi, Comiti Palatino Rheni, vtriuſque Bauariæ, Vveſphaliæ, Angariæ & Bulloniæ Duci, Marchioni Francimontenſi, Comiti Loſſenſi, Longienſi, Hornenſi, &c.

Olent vectores & nauicularij SER.*me* PRINCEPS, *vētis ac procellis agitata naui, pro ſuo quique modulo certū propriumq́ munus arripere, quo collatis omniū vnà viribus, ſalua & incolumis portum tenere queat. Idem mihi vni de multis nunc faciendū in hac Eccleſia veſtra Leodiēſis, diuerſis quidē iam fluctibus tantum non quaſſatâ naui videtur: quippè qui conſpiciam illam in præſentiſsimum nunc adduci diſcrimen, propter cauſas Ser.*ti* *veſtræ ſatis ſuperq́ cognitas.*

cognitas. Inter alias autem, illam non in postremis habeo, per quam pessundatur Iurisdictio vestra à nonnullis pragmaticis, qui vt suam promoueant causidicinam, clientibus mandata obtinent à Camera Spirensi Cassatoria, vt vocant, nedum aduersus decreta inter laicos de re profana ab Officiali vestro lata, verumetiam contra sententias Iudicum Apostolicorũ: quâ re nihil quidem sanè nocentius & damnosius Ecclesiæ vestræ Leodiensi excogitari potest. Etenim postquam subditi vestri litium anfractibus inuoluti, plurimorum annorum curriculis lites dispendiosissimas sustinuerint, & tandé aduersarios suos pluribus sententijs conformibus condemnatos fecerint, eccè vitiligatores isti, ad effugium singularis iniustitiæ tanquam Sacram ad anchoram recurrunt, obtinentq; sæpenumerò à Cæsareæ Majestatis Spirẽsi Camera, sinistrè cum maximè informata, mandata ista Cassatoria, quibus operosissimas illas sententias odijs plusquã ciuilibus decertatas, & totis interdum patrimonijs redẽptas, nedum funditus euertunt, sed nec ijs esse parendum edictis illa suis publicè mandat. At, quo prætextu? quod scilicet

seculares illæ causæ & profanæ, inter personas merè profanas coram Officiali vestro illiusq; Commissarijs per appellationem coram ipsis, & gradatim Pontificijs Iudicibus intentatæ, & introductæ, tractari minus debeant: quasi illi omni prorsus Iurisdictione seculari in quacumque Instantia in terris Imperij careant; quod quidem profectò quàm sit ab omni iure, priuilegijs, Constitutionibusq; Inuictißimorum Cæsarum, Maiorum vestrorum, alienum, equidem pro virili hoc opusculo conatus sum ostendere. Porrò, an id assecutus sim, Ser.tis vestræ erit iudicium. cui etiam persuasum esse opto, in toto hoc discursu aliquem in particulari (nisi vbi certò aßidebat veritas) vellicādi mihi studium non fuisse, sed eiusdem Serenitatis vestræ tantum iura atque Iurisdictionem tueri, Ecclesiæ etiam vestræ atque adeò communis Matris mastyges longißimè eliminare, communi denique malo mederi; quod hocce infœlicißimo tempore, proh dolor, tale tantumque est, vt nisi quâ pollet Ser.tas vestra Augustißimum apud Imperatorem auctoritate, adultis iam abusibus occurrat, & pro suâ innatâ clemētiâ atque

 pruden-

prudentiâ medeatur, haut temerè actum sit de Iurisdictionis auitæ splendore. Sed heu miseriam! eo iam seculo nati sumus, in quo nedũ periclitatur Iurisdictio vestra, sed beata illa Patrum concordia exulare, animorũm diuortia regnare, confusionibus permisceri omnia, sacra ipsa & immunitas Ecclesiastica violari, an despicatui haberi, iuris sua dictio cuique non relinqui, iura atque regalia Principibus debita, si non tolli, certè palam eleuari; quid multis? vitia eiusmodi, vt remedijs potiora videantur. Speramus nihilominus à superis Tutelaribus meliora: & sacris hisce Comitijs non solum pessimum publicum auerrũcandum iri, verũ etiam Iustitiæ cursum cuique relinquẽdum, Iurisdictionẽ inquã antiquissimæ Ecclesiæ vestræ Leodiensis (quã meritò Eminẽtissimus ille Cardinalis Baronius Tom. xj. annal. an. 1030. *Nobilissimã & fidei Catholicæ tenacissimam appellat) instaurandam: vt quæ patrum æuo lõgè latèque diffusa, imò multis retrò seculis, stetit, pristino mox nitori, & integritati ope vestra restitutam se lætetur. Faciat hoc propitius Deus, atque vtinam auxilio magni Cæsaris faciat; vt pace pro voto Ecclesiæ*

restitutæ

restitutâ vnius aliquando sensus sub te Clementissimo Principum viuere sustineamus. Hoc à te ô inuictissime CÆSAR, hoc à te Serenissime Princeps FERDINANDE congeniculantes supplicibus verbis, & votiuis omniũ precibus, petimus; ita gratiâ benè merendi à Superis adeptâ, cùm Sanctis Imperatoribus, Regibus & Principibus olim in cœlis conregnabitis. Datum è Ciuitate vestra Leodiensi 29. *Augusti* 1630.

Celsit. Vestræ Serenissimæ

Humillimus ac deuotiss. Seruus
Io. à Chokier Canonicus
& Vicarius Leodiensis.

LECTORI BENEVOLO.

QVæ pro Iuriſdictione Præſulum Eccleſiaſticorum præſertim Germaniæ in quâ cēſentur Leodienſes, proponenda,& adſtruenda aduerſus profanos Iudices bonâ fide,parte primâ ſcripſimus, vt & parte altera contra noſtri tēporis Eccleſiæ Maſtyges æqui bonique Lector cōſules; & tu quiſquis Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, & Eccleſiæ faues, tuere ſcriptum iſtud per quod oſtium mihi apertum eſt magnum, vt cum Apoſtolo *Epiſt. 1. ad Cor.* loquar, & aduerſarij multi: quos tamen inſuper fecerim dum Eccleſiæ & Sereniſſimo meo Epiſcopo ac Principi videar profuiſſe. Neſcio enim quo malo genio nati hodiè pragmatici, qui non vt iuſtitiæ, ſed clientibus, non poſteritati, ſed tempori; non patriæ communi, ſed farinæ & lucello inſeruiant; vix penſi habent recurrere ad tribunalia ſecularia contra Sanctiſſimorum PP. ſcita & decreta, contra Auguſtiſſimorum Cæſarum Ordinationes & Conſtitutiones, cōtra denique vtilitatem publicam,& morem Maiorum. Indè fit, vt iſti non pacem, quæ finis ſolet eſſe litiū, quæritent, ſed ipſas lites; & tamen pacem ipſi crepant, pacē volunt, Iuſtitiam verò pauci. *Iuſtitia enim & pax ſe oſculantur, quia duæ amicæ ſunt. Si amicam pacis non amaueris,* inquit D. Auguſtinus Enar. in Pſalm. 84. *non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te. quid enim magnum eſt deſiderare pacem? quiuis malus deſiderat pacem, bona enim res eſt pax. Sed fac iuſtitiam; quia Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt ſe, non litigant. Tu quare litigas cum Iuſtitia?* Hæc Auguſtinus, ſub cuius perſona ſi licitum eſſet loqui mihi, dicerem: Eccè Iuſtitia dicit tibi, ô litigator, ſuccubuiſti per multiformes ſententias coram iudicibus Ordinarijs Eccleſiaſticis & Pontificiis,& tamen ſurdo verbere pulſantem conſcientiam non audis, non deſiſtis,effugia quæris, adis quos non debes; percunctare ipſe te, inimicus es Iuſtitiæ, & quomodo pacem petis amicam iuſtitiæ? vis venire ad pacem? ſequere SS. Patrum decreta. ſequere inuictiſſimorum Cæſarum placita, morem, vt dixi, Maiorum, & orbitam Iuſtitiæ non excedes, ad pacem accedes. promoue Iuſtitiam, & viam tibi ad illam pandet Sacratiſſimus Cæſar, & Clementiſſimus tuus Princeps, cui poſt Deum. (cuius ordinatione regendi poteſtatem habet) vt reuerentiam debes & honorem; ita cultum, deuotionem,iuriſdictionem, quales olim repræſentarunt

maiores tui, homines illi quidem antiqui, sed synceri & aurei seculi, qui verè erant, ———— *tum in patria, nunc sumus in Rutuba.*

Hoc tute scis, ac sentis, Lector, & ideò plura non addam, quia sapienti pauca dicendo, multa intelliget. tu interim benè scriptum illius interpretare, qui bono publico in hanc legitimæ disputationis palestram primus, licet imbecillior, descendit; sin minus, cum Martiale dixerit:

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus inuideas, liuide nemo tibi.

Vale.

APPROBATIO.

CVm Vindiciæ libertatis Ecclesiasticæ admodum necessariæ sint, & maximè hoc exulcerato rerum omnium statu, quo ipsa à tam multis non Hæreticis modo, sed etiam Pseudocatholicis seu Politicis pessundatur, tractatum hunc titulo Vindiciarum illarum insignitum meritò euulgandum censeo. Leodij hac 26. Augusti. 1 63.

LEONARDVS STOCKIS. SS. Th. Licent.
& Professor, S. Petri Scholasticus
& Canonicus

Ad Legiam Matrem indulgentissimam.

LEGIA Nobilibus quam nata parentibus olim
Sis, probat hic rara dexteritate liber.
Ille tuas dulci versat modulamine cunas
LEGIA vagitus insinuatque tuos.
Et tua quo fueris transacta infantia seclo
Explicat Auctoris sedulitate graui.
Condidit HVBERTVS tribus è magalibus vrbem,
Ille tuus Pater est, Conditor ille tuus.
Præsul is ad Mosam tua fundamenta locauit,
Vbere te posuit constituitque loco,
Te ne Sacerdotis pudeat? mallesne tyrannum
Auctorem generis forsitan esse tui?
Roma Sacerdoti paret sanctissima casto,
Nec pudet ad sacros procubuisse pedes.
NOTGERO maior facta es sub Præsule, facta es
Ditior occisi sanguine lota Capri
Qui ferus è summis descendens montibus, ipsas
Rodebat vites LEGIA pulchra tuas.
Erige te, nihil hoc si rosterit vnus & alter,
Fortior hic reliquis omnibus vnus erit.
Sustinet vt validis cœlum ceruicibus Atlas
Sustinet augusti Principis iste vices.
Nobilis Auctor opus tibi LEGIA nobile struxit,
Nobilius quo non struxerit alter opus.
Principis hic cernes quæ Iurisdictio, quæ sint
Præsulibus cernes debita iura tuis.
Et quæ Romano iungant te vincula Regi,
Quatinus Imperio subijciare sacro.
Sacra etiam disces non corrumpenda profanis
Iura, sui maneant vnicuique gradus.
Vindicias canit iste tuas & triste minatur
Mastigi exitium mater amata tuo.
Læta diu flore, cum sospite Principe sospes,
Vt sic cum Diuo Cæsare semper eas.
Pax tibi sit cura, tibi sit concordia cordi,
Vel peris, & præceps in tua fata ruis.
Quod precor, inque pio versus hos finio voto,
Optoque quod Matri Filius optat idem.

Accinebat L. De Vlierden I.C.

INDEX CAPITVM partis primæ.

CAP.

PAR-

PARTIS SECVNDÆ
Capitum Index.

VIN-

VINDICIARVM LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ

PARS PRIMA.

In qua ostenditur Appellationes ab Ecclesiasticis Iudicibus in Causis Ciuilibus inter Laicos motis, in Imperiali Camera non esse interponendas, nec ab ea recipiendas.

CAPVT I.

In Ecclesia duplex potestas, Ecclesiastica, & Secularis: quæ in vna persona consistere possunt. Vtraque resedit in Christo, qui fuit etiam vt homo, Rex Regum & Dominus Dominantium.

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia militantis duplex militia.*
2. *Potestas Ecclesiastica & Secularis penes Moysen fuit, Samuelem & alios.*
3. *Potestas vtraque fuit penes Christum.*
4. *Christus non abiecit à se potestatem secularem.*
5. *Christus fuit verus Rex qui habuit potestatem in omnes Reges & Principes.*
6. *Potestas regia quæ?*
7. *Christus Dominus Rex & Sacerdos.*
8. *Damnatur error dicentium Christum Dominum Trinpicibus seculi fuisse subditum.*

QVemadmodum in Ecclesia, duplicis sunt speciei milites, Cęlestis scilicet siue triumphantis, & armatæ, quam qui 1.
sunt in via salutis, Orthodoxam, Catholicam, Apostolicam, Romanam, veram & vnicam ceù à Christo Domino institutam

 profiten-

profitentur; duplex populus, Clericorum, & Laicorum, duplex vita, Actiua & Cōtemplatiua: duplex bonum, Spirituale, & Temporale: ita in eadem Ecclesia, duplex est Iurisdictio & potestas Ecclesiastica & Secularis *cap. duo 12. q. 1. cap. duo dist. 96. Petrus à Monte Veneti in Monarchia Conciliorum. Rub. de Imper. Maiest. orig. q. 4. nu. 2. Stephanus Aufr. Repet, Clem. 1. quæsito 3. nu. 50. vers. 2.* quin autem hæ duæ potestates in vna eademque persona consistere possint, euincent, nisi me fugit ratio, rationes sequentes.

2. In primis, notum est cuiuis sacram legenti paginam, Moysen ipso tempore quo Dei populum ex mandato diuino eduxit de finibus Aegypti, illi præfuisse toto 40. annorum spacio, munitum vtraque potestate, spirituali videlicet & temporali: illam euincunt sacrificia quæ obtulit Domino & ius sacrandi Aaron ac filios eius Sacerdotes; hanc auctoritas illa qua præerat eidem populo, vt patet in libris Exodi, Leuit. Num. & Deutero. in quibus nullus legitur iuri dicundo præfuisse præter Moysen vel eius delegatos, videlicet 70. viros & alios, de quibus legitur *Num. 11. & Exo. 18.* Ex quo infertur, officium Sacerdotis non exclusisse Moysen, quo minus ius diceret in temporalibus, quin potius magis illum reddidit idoneum, vtpotè familiarem Deo, cuius est omne iudicium. Sic Samuel Propheta, vtraque decoratus erat potestate, Sacerdotali nimirum, & Principali, quâ populum Dei in temporalibus regebat. Idem tempore Machabæorum, in Ionata, Simone, Mathattia, Dàuide, qui omnes, in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus, præfuerunt populo Dei. Atque hæc

3. potestas perdurauit vsque quo Seruator generis humani è sinu Patris mundum redempturus ex vtero Deiparæ Virginis in lucem, quam fecerat, editus est, moxque penes ipsum, vti verum & vnicum totius orbis Dominum, & Monarcham, nedum quâ Deus, sed quà etiam homo vtraque potestas resedit, *D. Tho. de Regimine Principum, lib. 3. c. 12. sub fi. & 3. par. 4. 8. art. 4. & 1. par. q. 59. art. 2. Hostien. cap. quod super his, col. 4. de voto. D. Antonin.*

tonin. 3. p. tit. 3. cap. 2. col. 5. Iacob. Almaynus de potest. Pap. cap. 8. col. 6. Nauar. cap. nouit. not. 3. nu. 8. & seqq. Nam diuina testante Scriptura *Io. c. vlt.* data ei fuit potestas omnis in cœlo & in terra. quod ipsum ad Christi etiam humanitatem referendũ esse volunt Sanctus Hieronymus & Augustinus. quò respiciunt versus illi Regij Psalmographi, *Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo*, Item, *omnia subiecisti pedibus eius*, qua auctoritate vtitur etiam D. Tho, *d. lib. 3. c. 3. & in lib. 2. sent.* vt ostendat vtramque Christo cõpetijsse potestatem. Item, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionẽ tuam terminos terræ.* quo in loco Cardinalis sanctæ & recolendæ memoriæ Bellarminus dicit, omnes gentes datas Christo à Deo Patre tanquam eius hæreditatem, quia factus est Dominus totius mundi constitutus Iudex viuorum & mortuorum, vt habetur Act. 10. *& habet in femore suo scriptum Rex Regum & Dominus Dominantium Apocal.* 19. Vt proinde nemo Orthodoxæ religionis, Christo totius orbis Domino, etiam quatenus homini, *Nauar. in Relect. cap. Nouit. Not. 3. nu. 7. pag. 98.* illius Monarchiam & regimen, quoad secularia, negare possit.

Neque audiendi sunt, qui objiciunt Christum abiecisse à se omnem potestatem, per nonnulla eius dicta & facta: vt cum di- 4.
centi sibi cuidam: *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*, respondit: *ô homo quis constituit me Iudicem & diuisorem inter vos? Luc. 12.* quia respondetur, Christum Dominum parui hoc retulisse, & ad minores poterat recurrere: quasi diceret, Iurisdictio temporalis hæc est nunc penes Ethnicos Romanos, qui mihi eam non dederunt, imò toti populo Iudaico ademerunt. Itaque temporum illorum ratio, totiusque status Iudaici facies in omnibus Christi tum dictis, tum factis prudenter & sagaciter est inspicienda. Deinde, cum populus vellet eum Regem facere, fugit, *inquit Ioan. 6.* Nam Christus Dominus noluit hoc Regnum ab hominibus, vel per homines accipere, cum ipse Rex esset per 5.

ſe: preterquam quod exemplum nobis præbere voluit fugiendi honores, cùm deferuntur contemplatione commodi temporalis. quemadmodũ Regem facere Chriſtum volebant turbæ, quod eos quinque panibus & duobus piſcibus pauiſſet. Denique, quod Chriſtus Dominus pſeudopolitico Pilato dixerit, regnũ meum non eſt de hoc mundo: non idcircò negauit ſe eſſe Regem, neque ſuum regnum eſſe in hoc mundo, ſed de hoc mundo: ex quo inſinuare voluit regnum ſuum non electione mundanâ aut ſucceſſione humanâ, ſed iure Patris æterni hæreditario accepiſſe, *Domin. à Soto lib. 20. de Iuſt. & Iur. & q. 4. art. 5.*

Maneat ergò Chriſtum Dominum ſupremam regni poteſtatem adeptum in omnes, quod ſpectat ad regimen temporale & politicum, non quidem humana ſucceſſione, quod eſſet de domo & familia Dauid, non item electione, quia nulla talis electio, vel ex Scriptura, vel ex Patribus nobis innoteſcit, ſed ratione vnionis, ex qua vnicum & optimum fundamentum duxit auctor iſtius ſententiæ Vaſquez *in 3. part. diſput. 97. cap. 7.* cui optimas quaſque rationes ad probandam aſſerendamque Chriſti Domini
6. dignitatem acceptas refert ſchola Theologorum. eſt autem eiuſmodi: Quia poteſtas regia complectitur ius imperandi in ijs quæ ad politicam Reipublicę adminiſtrationem pertinent, ius ferendarum legum, & ius dicendi in omni lite & controuerſia; at humanitas Chriſti ipſa Deificatione ad eam dignitatem euecta eſt, vt nutui voluntatis eius, ipſo iure naturali debeant ſubdi, & parêre vniuerſi, tam Reges, & Imperatores, quam priuati: ita vt ſi ipſe vel imperaret, vel leges ferret, vel aliquam cauſam queſtionemvè decideret, per omnia illi obſequi, & parêre cuncti deberent. Diuinitas enim, quâ velut oleo humanitas delibuta fuit, nõ ſolum illum Sacerdotem, ſed etiam Regem inunxit & initiauit. R. P. Salazar in cap. 8. Prouerb.

7. Ex quo fit, vt falſa ſit opinio exiſtimantium, Chriſtum Dominum non ſolum poteſtatem Regiam non adeptum ſuper alios quoſ-

quoscūque Reges, & Principes, sed etiā illum iure ipso sui seculi Principibus subditum fuisse: error enim iste damnatus fuit à Ioanne 22. in quadam Extrauag cuius meminit Cardinalis Turrecremata *lib. 4. sum. 2. part. cap. 37.* & facilè euertitur plusculis Euangelij locis, quibus Christus se nulli humanæ potestati subijci affirmauit. 8.

CAP. II.

A Christo Domino in Petrum, illiusque, successores, vtraque potestas deriuata est.

SVMMARIVM.

1. *Potestas Ecclesiastica & temporalis à Christo Dominò in Apostolos deriuata.*
2. *Christus omnem potestatem quam habuit in hoc seculo Petro commisit.*
3. *Christus vtramque potestatem exercuit, Ecclesiasticam & profanam.*
4. *Ecclesia Romana fulcitur auctoritate Petri.*
5. *Sensus verborum Christi ad Petrum, Conuerte gladium tuum in vaginam.*

VTramque potestatem Spiritualem, & Temporalem in Petrum illiusque successores immediatè à Christo Domino 1.
defluxisse, illis Christi ad Petrum verbis probari solet: *Pasce oues meas*: ad quem locum Lyranus inquit, quod subditi sint ab Ecclesiæ Pastore pascendi genere pastus triplici: pastu scilicet verbi Dei, pastu boni exempli, pastu denique subsidij temporalis.

Secundo, Christus Dominus omnem quam habuit in hoc se- 2.
culo potestatem, Petro permisit; at Christus vtramque potestatem exercuit. Secularem, dum flagello facto ex funiculis eiecit ementes & vendentes, & nummularios sedētes in templo *Ioan.* 2. *Math.* 21. *cap. eijciens* 1. *q. c. Saluator* 2. *q.* 7, *cap. accusatio quoque* 3.
16. *q.* 7.

16. q. 7. Sacerdotalem, quando seipsum obtulit hostiam discipulis suis, *Math 26. Marc. 13.* & dum in ara crucis Patrem exorauit, dicens, *Pater ignosce illis &c. Luc 23. Archidiac. in c. cum ad verum 96. dist.* Ergò, apud Papam & Regalis & Sacerdotalis fulget au-
4. ctoritas. Vnde legitur *in cap. omnes 22. dist.* Romanam Ecclesiam solus ille Saluator sub petra fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro ętern ę vitæ clauigero terreni simul & cęlestis Imperij iura commisit, illius certè priuilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur, *Steph. Aufrerius in Repet clem. 1. de off ord. nu. 38 p. 44. & 47.*

Amplius, quid sibi vult illud Hieremiæ vaticiniũ 1. *Ecce constitui te hodiè super gentes & regna, vt euellas, & dissipes, ædifices & plantes?* quod non de sacris tantum, sed etiam de profanis, deque Iurisdictione meritò intellexerunt Pontifices, Theologi, & iuris vtriusque Interpretes.

5. Deinde, probatur ex verbis Diui Bernardi, *lib. 4. de considera-tione, § sed reliqua, vers. in his.* explicantis verba illa Domini: *Conuerte gladium tuum in vaginam Math. 26. Ioan. 18.* Tuus, inquit: & ipse » tuo forsan nutu, etsi non tua manu euaginãdus: alioquin si nullo » modo ad te pertineret, & dicentibus Apostolis *Ecce duo gladij hic,* » non respondisset Dominus: *Satis est, sed nimis est.* Vterque ergo » Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem » pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est: ille Sacerdo- » tis, is militis manu, sed tamen ad nutum Sacerdotis, & iussum » Imperatoris; & de hoc alias: nunc verò arripe illum qui tibi ad » feriendum creditus est, & vulnera ad salutem. Si non omnes, si » non vel malos, certè quos possis. Hactenus Sanctus Bernardus. cuius verba cum Bonifacij VIII. Constitutione conferas licet, *in Etrauag. vnam sanctã, de maior. & obed.* eorumque sensum plena manu explicat eminentissimus Card. Bellarminus in suo opusc. de Pot. Pont. aduersus Barclaium.

CAP.

CAP. III.

An summo Præsuli competat ius cognoscendi de omnibus causis.

SVMMARIVM.

1. *IVrisdictio Pontificis quoad appellationum caussas.*
2. *Potestas secularis subditur spirituali sicut corpus animæ.*
3. *Nedum de ciuili causa cognoscit Ecclesiâ, sed etiam de criminali.*
4. *Ecclesiasticis non est interdictum quo minus per alios iudicium sanguinis exerceant.*
5. *Ideò non incurrunt irregularitatem si per suos seculares ministros Iustitiæ criminalis debitum exequantur.*
6. *Iudicium Ananiæ & Saphyræ.*
7. *Ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine.*

VErùm, vt propius ad rem quam tractandam suscepi, veniam, certum est de iure ad Pontificem in omnibus causis etiam laicorum prouocari posse, *cap. quicunque litem* 11. *quæst.* 1. quod certè euidens est argumentum superioris potestatis, etiam in ciuilibus, *Boët. Epo de Iurisd. Eccles. temp. quæst. nu. 6.* Vnde D. Thomas *in 2.2 art.17. 60.art. 6.* potestas, inquit, secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ, & ideò non est vsurpatũ iudicium si Spiritualis Prælatus se intromittat de ciuilibus & temporalibus. Et D. Paulus ad Corhintios scribens: Nescitis, inquit, quia Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Argumentatur à Iudiciaria potestate rerum superiorum, ad amplificandam potestatem circa res minores, videlicet seculares. *Bozzius lib. de temporali Ecclesiæ Monarchia. & lib. de Signis Ecclesiæ Dei.*

1
2
„
„

Nec solum quoad ciuilia iudicia, & ciuiles causas, *per c. quæcumque* 11, *quæst.* 1. *Durandus de Iurisd Eccles. col. 18. Ioannes de Turrecremata in cap. cum ad verum 96. dist,* veruметiam criminales: 3
quia

quia potestas Ecclesiastica extenditur ad cognoscēdum de omni peccato mortali cuiuslibet Christiani, etiam laici, & ad compellendum eum per censuram Ecclesiasticam quoad ab eo discedat, *Nauar, in Relect. d. cap. Nouit. de Iudic.* Not. 6. ac etiam infligendo pœnam sanguinis per alios seculi ministros: per se enim nequaquam posset, *cap. Clericis, cap. sententiam sanguinis, ne Clerici vel*
4. *Monachi, & supra ostendimus ex verbis Gregorij cap. 4.* licet nullo iure diuino sit ipsis interdictum iudicium sanguinis, sed solo meroque iure humano quod positiuum vocant, propter deco-
5. rum ordinis sacri. adeò, vt etiamsi suos fortè illos Prætores officij sui diligenter faciendi, iustitiæque prout iura postulant exercendæ commonuerint Ecclesiastici Præsules, propterea tamen irregulares minimè reddantur, quantumlibet hi singulariter illis mādauerint ac iniunxerint vt de certo homicidio, seu latrocinio aut alio maleficio veritatem inquirerent, & iustitiæ debitum exequerentur, illique mortis pœnā deinceps irrogauerint. *Boet. Epo, de Iurisd. Eccles. temp. quæst. 4 nu. 6.*

6. Hinc videmus in Actis Apostolorum D. Petrum vsum hac potestate, qua dānauit iudicialiter Ananiam & Saphyram pro crimine furti, & mēdacij. D. Paulum quoque, cōuictum fornicatorē condemnauit, 1. *ad Cor. 5.* Sed quia ratio temporis Ecclesiæ nascentis aliud postulabat, valde rarò hac potestate vtebantur Apostoli, conuertendis vtpotè gētibus ad fidem intentissimi. At multiplicatis, per conuersionem gentilium fidelibus, vtraque remāsit potestas penes Ecclesiam: quia, vt præscriptum est, cuius est iudicare de fine, eiusdē est iudicare de ijs quæ ordinantur ad finem, *d. cap nouit. ibi Nauar. Not. 3. nu. 97. de Iudic.* quia ratio corū quæ
7. ordinātur ad finem, sumitur ex fine. Vnde quemadmodū corpus ordinatur ad animā, ita temporalia ad spiritualia tanquā ad finem, atque ita Ecclesia quæ habet iudicare de spiritualibus, potest etiā meritò de tēporalibus iudicare, vt scribit Petrus Bertrandi Cardinalis Gallus *in suo tract. de Iurisd. Ecclesiast. & seculari, in pr. nu. 34.*

CAP. IIII.

CAP. IV.

Vtraque Iurisdictio, & Spiritualis, & Temporalis in eadem persona potest consistere

SVMMARIVM.

1. *VTraque Iurisdictio Spiritualis & temporalis in eadem persona potest consistere.*
2. Druides *Sacerdotes Gallorum iuri dicundo praeerant.*
3. *Iurisdictio laica astruitur iure diuino penes Ecclesiasticos.*
4. *Sacerdotibus antiquae legis iuris dicendi facultas competebat.*
5. *Vtraque potestas Ecclesiastica & secularis non est incompatibilis.*
6. *Tempore nascentis Ecclesiae non expediebat vti gladio materiali.*
7. *Theodosij Imperatoris Constitutio elegans.*
8. *Appellatur ab Episcopo ad Archiepiscopum & non ad eum à quo temporalia habet.*
9. *Ecclesiasticis viris competit Iurisdictio temporalis, nedum habitu, sed etiam vsu.*
10. *Iurisdictio Ecclesiastica testimonio D. Augustini adstruitur.*
11. *Ius gladij habebant veteres Sacerdotes, quod probatur exemplis.*
12. *Papa vtrumque gladium habet.*
13. *Intellectus verborum* Conuerte gladium tuum in vaginam.

QVemadmodum supra ostendimus vtramque potestatem, & Ecclesiasticam & temporalē in vna eadēque persona cōsistere posse, ita dicimus vtramque Iurisdictionē & spiritualem & temporalem cōpatibilem esse in eadem persona. Probatur primo, iure gentium: nam Sacerdotes Gallorum, qui Druidæ per

2. Cæsarem dicuntur, *libro 6. de bello Gallico*, iudicabant in omnibus causis, ita enim Cæsar: Magno hi sunt apud eos in honore:
„ Nam ferè de omnibus controuersijs publicis, priuatisque consti-
„ tuunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæ-
„ reditate, si de finibus controuersia est, iidem discernunt, præmia
„ pœnasque constituunt. Quin in augustissimo illo Atheniensium iudicio, quod Areopagus dicebatur, Sacerdotes itidem Iudices erant, summusque omnium Sacerdos, rogatis singulorum sententijs, suffragia colligebat, teste Iosepho, *lib. 14. antiq. cap. 16.* Mittamus ethnicos. Probatur etiã assertio nostra, tam iure diuino, quam canonico, ciuili, & consuetudinario, ac etiam priuilegiato.

3. Iure quidem diuino, quia in sacra pagina legitur Moysen populum iudicasse, etiam in causis hæreditarijs & merè realibus, *vt*
„ *patet Nu. 27. & alijs in locis, vt Deuter. 17.* vbi sic habetur: Si dif-
„ ficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter san-
„ guinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram,
„ surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus:
„ veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fue-
„ rit illo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi Iudicij ve-
„ ritatem, sequerisque sententiam eorum. Qui autem superbierit,
„ nolens obedire Sacerdotis Imperio qui eo tempore ministrat
„ Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & au-
„ feres malum de Israël.

Quibus verbis perspicuum est, ius Sacerdoti fuisse potestatem
4 dicendi non solũ inter lepram & non lepram, quantũ ad cęremonialia, & irregularitates legis, sed inter sanguinem & sanguinem, quantum ad criminalia, & inter causam & causam, quantum ad ciuilia. Eodem modo explicat verba ista Petrus à Monte *in tract. Concil. siue de Primatu Papæ tit. de modis resistendi Papæ Ecclesiam turbanti, nu. 8 vol. oceani, 2. fol. 78. pag. 2.* videlicet verba illa *inter sanguinem & sanguinem,* intelligi de homicidio, vel de alio, *inter leprã & non leprã,* cum legitur, de hæresi: *inter causam & causam,* quando

quando vertitur causa ciuilis. Similiter Samuel qui fuit Propheta & Sacerdos, etiam populum ipsum in temporalibus iudicauit. Nec is tantum, sed etiam temporibus Regum, quamdiu vsi sunt Consilio Sacerdotum, benè eis in regnis cessit: quando autem Consilium Sacerdotum & Pontificum neglexerunt, regimen eorum factum est in dissipationem: & ad extremum, ducti sunt in captiuitatem, in qua captiuitate populus ex toto regebatur per Sacerdotes & Prophetas, vti per Esdram & Neemiam. Nouissimè verò opera Machabæorum Regnum reductum est, & regimen ad Sacerdotes, & ijdem fuerunt Reges seu Duces Populi, habentes administrationem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quemadmodum legitur 1. & 2. Machab. de Mathattia, & de filijs eius, videlicet Iuda Machabæo, Ionata, Simone, & Ioanne filio Simonis, qui omnes in omnibus tam Spiritualibus, quam temporalibus præfuerunt populo Dei, *Pet. Bertran. de Jurisd. Eccles. & sæculo in Resp. nu 2.* Porrò de Christo & Petro, alijsque Apostolis, quod parem habuerint potestatem satis superiori capite ostendimus, & probatur in c. nouit. vbi Nauar. *not. 3. nu. 130.*

Nec obstat primò, quod Iurisdictio Spiritualis & tēporalis sint ex se distinctæ & separatæ. Quia non ex hoc sequitur, quod sint cōtrariæ & incōpatibiles: quia vnum contrariū non ordinatur ad aliud: Iurisdictio autem spiritualis ordinatur ad temporalem, vel è contra: imò dependet ab ea, sicut claritas lunæ, à claritate solis, Imò vna Iurisdictio confortat & adiuuat aliam. Vndè patet quod etiamsi sint distinctæ duæ illæ Iurisdictiones, attamen non idcircò sunt contrariæ, & incompatibiles in eodem subiecto. 5.

Secundò, non officit quod Christus alijque Apostoli non vsi sint potestate temporali: quia alia fuit ratio in Christo, alia in Apostolis & Pontificibus: nam etsi in Christo & Apostolis actu & exercitio non resederit potestas temporalis, habitu tamen penes eos erat *Pet. à Monte d. tract. tit. de Consilij præeminentia nu. 27.*

Restaurus Castald, tract. de Imperatore q. 52. & supra ostendimus
6. *cap. 2.* Nec expediebat in illis primis Ecclesiæ incunabulis, vti illa temporali potestate, iuxta illud Apostoli 1. *Cor. 6. omnia mihi licent, sed non expediunt omnia.* Nunc verò cum totus orbis Christianus Christi doctrina imbutus sit, mirum videri non debet si Ecclesia insistat circa delictorum punitionem, & iustorum iudiciorum redditionem *Pet. Bertran. d loco* Ideòque pro indubitato tenent omnes, Vicarium Christi in toto orbe terrarum Spiritualium & temporalium habere iurisdictionem *Restaurus d. tract. quæst. 52. nu. 13.* vndè fit, vt possit causas & ciuiles & criminales, etiam alteri laico delegare, *63. dist. c. In Syno & cap. Adrianus de Judic. Anto. ac Rosell. tract. de potest. Imp & Papæ vers. leoniū.*

Dixi etiam iure Canonico & ciuili probari hanc compatibilitatē Iurisdictionis spiritualis & tēporalis in eadem persona: quia de iure Canonico probatur per multos textus, *videlicet 22. dist. c. omnes Patriarchæ & c. si quis præsbiter, & c. relatum 11. q. 1. c. nouit, de foro comp. Mandos. in 4. Commiss. verb. deuolutus,* vbi dicit à Regibus appellari posse ad Papam, quia ipse vices Dei tenet in terris. *Isernia c. Jmperialem vers. præterea de prohib. fend. alienat. Restau. Castal. d. quæst. 50. Hostien in su. tit. qui filij sint legit § qualiter.* De iure ciuili, etiam probatur Iure Authenticorum, *vt tit. vt*
7. *differ. Iud.* quo iure Imp. Theodosius sanciuit, vt omnes causæ quæ prætorio vel ciuili iure tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec liceat retractari negocium quod Episcoporum sententia deciditur; quæ constitutio refertur in Canone quicumque 11. q. 1. Nec potest dici quod fiat iniuria laicis, si illi effecti Clerici subsint Clericorum iudicio, & sic res quodammodo reuertatur ad suam naturam *arg. l. si vnus §. quid si in specie ff. de pact.*

Neque obstat *inquit idem Pet. à Monte d. tract. mi. 6. pag. mei 80.* quod temporalia subsint Regibus, quia hoc verum est, quoad onera realia, quæ directè respiciunt rem l, *munerum ff. de Muner. & bon.*

& bon. c. si tributum 11. *q.* 1. Hic autem nos loquimur de foro, in quo magis inspicitur persona, quam res: nec enim est tam inspicienda qualitas causæ, quam Iudicis *Wames. in cap. si duobus* §. *denique in pr. de Appellat.*

Postremò, dixi de iure cōsuetudinario: quia ab Episcopo habente Iurisdictionem temporalem ex consuetudine, vel aliter, appellatur ad Archiepiscopum, & non ad eum à quo temporalia habet, *cap. Romana* § *debet, vbi DD. de appell. in 6. Speculat. tit. de appellat.* § *nunc tractemus vers. Illud autem. Guido de Appell. q. 34. nu. 32. & decis. 436. nu.* 110. *Scaccias de appellat. quæst. 8. nu. 50.* qua de re suus relinquitur dicendi locus. 8.

Dixi, *vel aliter*: quia Clerici possunt habere feuda à patrimonio suo, & à Principibus, & ea propter facere illis homagium, vt infra dicemus. Quotus autem quisque dicat, assumptum in Episcopum, teneri patrimonij sui iuribus renuntiare? Et tamen non paucos videmus Nobiles assumptos ad Episcopatus, & vtramque nihilominus retinuisse potestatem, & Spiritualem & temporalem. Fatemur quidem Iurisdictionem temporalem nihil habere commune cum Spirituali, attamen quin Ecclesiasticis 9.
viris hodie competat nedum habitu, sed etiam vsu negari non potest, *Dominic. Soto lib. 10. de Iust. & iure quæst 4. art 5. in resp. ad arg. 5. Aluarus lib. 2. art 57.* Testor D. Augustinum *in* 10.
serm. apolog. Petri & Pauli, incip. Fortis & humilis. ô mira inquit, » potentia & ineffabilis gratia Saluatoris! quis plebeium piscatorem, Apostolorū facilè crederet Principem, etiam Regibus obsistere? Reges sanctificare? Regnis omnibus imperare? mundum refrenare legibus? Dæmonem calcare pedibus? iubere virtutibus? cælum hominibus aperire? cum velit; claudere cum placeret? conuersis donare, negare peruersis? merita mundi cognoscere? culpas & crimina hominibus relaxare? »

Ad quæ verba pulchrè Anast. Germonius *tract. de Indultis Cardin. lib. 3. cap. 13. nu. 5.* Quis vnquam efficacius, inquit, aut

elegantius potuit vniuersam Ecclesiasticam Iurisdictionem, quæ Spiritualis est, mixta, temporalis, mixti meriqueImperij, breui compendio complecti, & in vnum quasi fasciculum constringere? Quid est Regibus obsistere? regnis omnibus Imperare? mundum refrenare legibus? nisi gladij habere potestatem ad animaduertendum in facinerosos homines? quod esse merum Im-
11. perium dixit Vlpianus *in l. 2 ff. de Iurisd. om. iud.* cui autem datur Imperium, dicitur ius & potestatem gladij dari: quam quoque habebant Sacerdotes veteris legis; ea enim vsus est Samuel Propheta in Agag Regem *1. Reg. 15.* Helias in 400. Prophetas Baal *3. Reg. 18.* Eliseus in 42. pueros irrisores, *ibid.* Ioada denique Sacerdos in Athaliam Reginam, *ibid. c. 11.* ait enim; *Educite eam extra septa templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio.* Tum subiungit: *non occidatur in templo Domini.* & iuxta palatium interfecta est.

Sunt & alia in hanc sententiam argumenta, quibus confirmatur quæstionis nostræ solutio, vtramque scilicet Iurisdictionem Spiritualem & Temporalem eidem competere, quæ videre licet apud eundem Anast. Germonium *lib. 3. de sacror. immunit. cap. 13.*
12. Et alios, qui vno omnes ore & sententia asserunt Papam vtrumque gladium habere, *Aluarottus cap. 1. nu. 10. Episc. vel Abb. in feudis Glo. in cap. Nouit. verb. cum ipse de Iud. & in cap. causam qua verb. ad Regem, qui filij sint legit, cap. omnes dist. 22. Restaurus de Imper. quæst. 5. nu. 2. & 5. Faber in § sed quod Principi vel Populo Instit. de Iure nat. gen. & ciuili.* Quia non reperitur, *inquit Restaur. Castal. tract. de Imper. q. 50. nu. 22.* quod Christus abstulerit
13. Petro gladium temporalem, quem antea habebat summus Sacerdos, sed illius vsum dumtaxat: vnde non dixit, *conuerte gladium in vaginam,* sed adiecit *tuum,* quod dominij significatiuum respectu Petri. Ita etiam ratiocinatur Anthon. de Rosellis, *tract. de potestate Imper. & Papæ vers. De littera fol. 309.* & quidem illius vsum, vt non per se, sed per sæculi ministros quorum opera

in

in exercitio gladij materialis vtantur, *Nauar. in d. cap. Nouit, & ibi. Abb. nu. 12. de Iudicijs.*

CAP. V.

An vsus Iurisdictionis temporalis tempore primitiuæ Ecclesiæ fuerit Episcopis permissus?

SVMMARIVM.

1. *QVi tempore primitiuæ Ecclesiæ Contemptibiles?*
2. *Locus D. Pauli 1. Cor. 6. explicatur.*
3. *Qui tempore Ecclesiæ primitiuæ iuridicundo præerant.*
4. *S. Augustinus Episcopus vacat litibus dirimendis.*
5. *Clerici de ciuilibus controuersijs cognoscebant.*
6. *S. Ioannes Chrysostomus ius ipse dicebat, vt & S. Ambrosius.*
7. *Episcopi proprios habebant carceres.*
8. *Valentinianus Imper. interdixit Episcopis iudiciale tribunal.*
9. *Territorio annexa est Iurisdictio.*

QVi negatiuam huius quæstionis partem tuentur, auctoritatem producunt S. Pauli. *1. ad Cor.* 6. dum vult lites vel controuersias ciuiles inter Christianos, non per Clericos, sed per Laicos dirimi, sic enim ait: *Sæcularia igitur indicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Quasi illi in Ecclesia contemptibiles essent qui essent laici, Græcè enim τοὺς ἐξουθενημένους accipere videtur 1.
Sanctus Paulus pro Laicis, inquit Francisc. Turrianus. Verùm, priusquam huic obiectioni respondeamus, & locum illum sancti Pauli explicemus, sciendum est Episcopos tempore primi-

primitiuæ Ecclesiæ duo habuisse genera Administratorum: Alterum Sacerdotum; alterum Iudicum. Illi in maximis & difficillimis rebus operam nauabant, quasi Cōsiliarij & Assessores Episcopi, de quibus Paulus *2. Timot. 5. Qui bene præsunt præsbyteri du-*
" *plici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & do-*
" *ctrina.* Isti cognoscebant de caussis inter Christianos, qui Iurisdi-
" ctioni Episcopi patientiam accōmodare debebant. Itaque locus
2. ille Pauli præcitatus 1. *Cor. 6.* sic intelligendus est, ne coram Iudicibus Ethnicis, vel nondum Christianis primi illi fideles litigarent: Ideoque controuersias inter se, vel amicè componi, (nam alibi dicit *seruum Domini non oportere litigare*, 2. Timoth. 2. vers. 24) vel certè coram Iudicibus Christianis disceptari, dirimique, non quidem à viris Apostolicis, sed inferioribus quibusdam Clericis, siue Laicis id munus demandari desiderat, etiamsi eiusmodi Iudices & Christiani tum omnes ab Ethnicis cōtemnerentur. Quod quidem idcircò desiderabat Paulus, ne Ecclesiastici præcipuæ notæ, cæterique Ecclesiæ Rectores, per eiusmodi sæcularia negotia, à Christianæ fidei propagatione auocarentur. *Anast. Germonius de sacrorum immunitatibus lib. 2. cap. 13. nu. 27.* Quod & probat Boëtius Epo *de Iurisdict. Eccles. tempor.* D. Au-
3. gustini dicto, loquentis de sæcularibus iudicijs per contemptibiles finiendis in hæc verba: Igitur Sapientes, inquit, qui in locis
" consistebant fideles, & sancti, non qui hac atque illac propter
" Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores
" Paulus esse voluit; à quibus excusare nos non possemus etsi veli-
" mus. Christum in testem inuoco, quoniam mallem per singu-
" los dies certis horis aliquid manibus operari, & cæteras horas ha-
" bere liberas ad legendum & orandum, vel ad agendum aliquid
" de diuinis literis, quam tumultuosissimas perplexitates causarum
" pati de negotijs sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel inter-
" ueniēdo præcidēdis. Hactenus ipse D. Augustinus. Et in epist. 47
" *ad Proculianum*; Et homines quidem causas, inquit suas sæculares
apud

apud nos finire cupientes, quando eis necessarij fuerimus, hic nos "
Sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: "
aliquando & nos agamus negotia salutis nostræ, & salutis ipso- "
rum, non de auro, non de argento, non de pecoribus pro quibus "
quotidie submisso capite salutamur. Denique Possidonius in
eius vita *lib. 8 c. 19.* ostendit, ipsum vacasse litibus dirimendis ali- 4.
quando vsque ad horam, inquit, refectionis; aliquando tota die
ieiunasse vt ius diceret, & caussas dirimeret. *refert Baron. tom. v.*
Annal, anno Christi 398.

Cognoscebant ergò Clerici quoque de ciuilibus controuer-
sijs; etiam inter sæculares, & hoc necessarium censebatur, nec 5.
excusatio clericis dabatur.

Constat similiter S. Ioannem Chrysostomum ius dixisse in
causis ciuilibus inter personas merè laicas, vt in illa istius viduæ, 6.
cuius debitorem suis curauerat mancipari carceribus.

Vnde etiam videmus Episcopos proprios habuisse carceres in
quos obnoxij debitis, & alij inter reos rerum & debitorum ciui- 7.
lium relati conijciebantur, teste Illustriss. Card. Baronio *tom. 5.*
Annal. anno Christi 461. Quid multis? De B. Ambrosio refert
B. Augustinus *confess. 6. cap. 3.* adeò illum fuisse obrutum cogni-
tione alienarum caussarum, vt vix daretur ei respirandi facultas,
atque adeò toto tempore quo ipse Augustinus Mediolani rese-
dit, nunquam nactus sit Ambrosium ab his liberum & otiosum.

Sinesius verò ex Philosopho factus Episcopus Prolemaidis 8.
sub annum Christi 411. vir sanctissimus, conqueritur quod ne-
gotijs ciuilibus obrueretur, multisque suspirijs ingemiscit, quod
Episcopali muneri Dicasterium iungere deberet: adeò vt
ob eam caussam de Episcopatu dimittendo cogitaret. non con-
demno, inquit, Episcopos qui in rerum negotijs versantur, sed
ignarus me ipsum vix in theatrum peruenire, admiror eos qui
vtrumque possunt. Mea facultas non est duobus Dominis serui-
re; si verò sunt aliqui, qui neque à conscientia læduntur, pote-

runt sanè & sacerdotio fungi, & ciuitatum Præfecti esse. Radius solis etiamsi cum sordibus conuersabitur, purus manet, & non conquinatur: ego verò si idem hoc fecero, fontibus, & mari opus habeo. Verum, quod ille religione & conscientiæ teneretudine haud est exsecutus; plerique tamen (veluti prænominati SS. Patres alijque sexcenti Episcopi ad nostra vsque tempora) vtramque potestatem laudabiliter magnoque cum merito administrarunt.

Vnde Valentinianus Imperator reprehensionem magnam subijt, quod indignã Christiano Principe ediderit sanctionẽ, quâ abstulit Iudiciale tribunal Episcoporũ: quippè qui eos ius dicere vetuit, nisi partes ex consensu apud aliquem Episcoporũ sponte agere elegissent, nullamque voluit esse Clericis fori exceptionem, adimens illis omne Iudicium Ecclesiasticum, nisi in his quæ ad religionem spectarent. Sed quam ex impia hac constitutione malorum odijsseam sustinuerit, legat qui volet Baronium *tom. v. Annal, anno Christi 452.* At hodie in Imperio, cum Episcopi simul & Principis personam sustineant, territoriumque &
9. Diocesim obtineant, non mirum si & Ecclesiasticam & ciuilem exerceant Iurisdictionem, ex quo notum sit territorio annexam esse iurisdictionem *Valasc. de Iure emphyt. quæst. 9. nu. 21. & seq.* nec illud sine ista regi posse, *Ioachim. Stepha. tract. de Iurisdict. lib. 4. c. 2. nu. 56. qua de re latius infra cap. 22.*

CAP. VI.

Imperatorũ constitutionibus asseritur Iurisdictio Ecclesiastica non illorum sed Apostolorum potestate concessa.

SVMMARIVM.

1. *Caroli Magni Constitutio quoad Iurisdictionem Ecclesiasticam.*
2. *Monitum Baronij ad eos qui impediunt Iurisdictionem Ecclesiasticam.*

3. Po-

3. *Potestas Episcopis iudicandi inter laicos, concessa est non tam ab Imperatoribus, quam ab Apostolis.*

4. *D. Augustinus præest iuridicundo, etiam in profanis caussis.*

5. *Omnis Iurisdictio ab ipso Papa, tanquam à fonte procedit.*

QVantum Carolus ille Magnus, verè magnum Ecclesiæ co-
lumen & decus, detulerit Ecclesiastico foro, facile col-
ligere est ex eius constitutione, quam ex cap. Nouit, de Iudi-
cijs & alijs, Illustrissimus Cardin. Baronius *tom. 9. Annal sub
annum Christi 801.* refert his verbis: Quicumque litem habens, 1.
siue possessor, siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis tē- »
porum curriculis, siue cum negotium peroratur; siue cum ince- »
perit, sententia promi, si Iudicium elegerit Sacrosanctæ legis »
Antistitis; illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refra- »
gatur, ad Episcoporum Iudicium, cum sermone litigantium di- »
rigatur: Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vin- »
culo promi non patiuntur, inuestigat & promit Sacrosanctæ Re- »
ligionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio Iure »
vel ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpe- »
tuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius tractari nego- »
tium, quod Episcoporum sententijs deciderit. Testimonium »
etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes Iudices indubi- »
tanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi »
à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis »
auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à Sacrosancto »
homine, conscientia mentis illibatæ, protulerit, hoc nos edicto »
salubri aliquando censuimus; hac perpetua lege firmamus, ma- »
litiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines longis, ac »
penè perpetuis actionum laqueis impliciti, ab improbis petitio- »
nibus, vel à cupiditate perpera maturo fine discedant. Quidquid »
itaque de sententijs Episcoporum clementia nostra censuerat, »
etiam hac sumus lege complexi, grauitatem tuam, & cæteros »

" pro vtilitate omnium, in perpetuum obseruare conueniet.
Ista sunt quæ ex Theodosio Carolus Imperator ab Imperatore mutuatus, pius ex pio, iustissimus ex iustissimo, vtroque Christianæ religionis decore maximo & ornamento, siue virtutem militarem spectes in eis, siue cultum fidei Orthodoxæ, vel erga
2. subditos sibi populos regimen probatissimũ. Hæc audiãt & erubescãt illi, inquit Baron. qui his penitus aduersarias leges statuũt & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes quacumque occasione prætensa, via indirecta procurant, ne laici ipsi attingant limen Ecclesiastici fori. Timeo, timeo, inquit, istis, nequando, si ista facere perseuerant (quod absit) Deus vindex tandem exurgens, virga furoris ferrea, secundum illud Dauidicum, *tanquam vas figuli confringat eos*, vndè & ob imminens quod astat periculum æque cum eodem ipso ex alto corde vociferor: *Nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram*, & exemplo discite Caroli ex obedientia & obseruantia erga Apostolicam fidem, Regna & Imperia propagare, atque firmiter stabilire. hæc Baron. *tom. 9. Annal. sub annum Christi 801. & sub annum Christi 398.* vbi etiam ostendit ex verbis S. Augustini *tract. de opere Monach. cap. 29.*
3. potestatem Episcopis iudicandi inter laicos concessam, non tam ab Imperatoribus, quam ab Apostolis collatam esse: Dominum
" Iesum, (inquit, in cuius nomine securus hæc ago) testem inuoco
" super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum com-
" modum, multò mallem per dies singulos certis horis aliquid
" manibus operari, & certas horas habere ad legendum & oran-
" dum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quam tumul-
4. " tuosissimas perplexitates caussarum alienarum pati de negotijs
" sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præci-
" dendis, quibus nos molestijs, idem affixit Apostolus, non vtique
" suo, sed eius qui in eo loquebatur arbitrio. Vnde vides non alicuius Honorij, aut Theodosij, vel Caroli Magni legibus, sed

Apostoli

Apoſtoli Pauli decretis eiuſmodi iudicio præfectos eſſe Epiſcopos, *Pet. Bertrandi de Iuriſd. Eccleſ. & ſacul. q. 3. nu. 27. & ſeqq. p.* Gonzalez *ad Reg. VIII. Cancell. in Proëra. §. 1. nu. 9. & ſeqq.* vbi ſcribit omnem Iuriſdictionem ab ipſo Papa, tanquam fonte procedere *Alex. l. 1. nu. fin. verſ. Vnde dicit Bald. de Iuriſd. om. iud.*

Vnde conſidera, lector, quam malè animati ſunt erga matrem Eccleſiam, qui dicunt olim penes Epiſcopos nullam aliam fuiſſe Iuriſdictionem quam inter Clericos & Monachos in cauſſa nimirum religionis, vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & non in alios, vel in alijs cauſſis, niſi inter conſentientes, vt habetur in tit. de Epiſc. audien. & ibi Cuiacius. Debuerunt conſideraſſe & attendiſſe hanc Caroli Magni, ſeu Theodoſij Conſtitutionem ſupra relatam, vt & præcedens S. Auguſtini exemplum: ac ſi quis forte contrarius vſus fuerit tempore Imp. Valentiniani & Valentis, aut Arcadij & Honorij quorum referuntur Conſtitutiones ſub dicto titulo Cod. Iuſtiniani, de Epiſcopali audientia, hoc euenit, rebus Epiſcoporum tum accifis: nam ea tempeſtate Wandali, Alanis, Gothis & alijs barbaris nationibus permixti, nedum Africam, ſed totam Europam infeſtabant, & quicquid contumeliarum Catholicis Epiſcopis irrogare poterant, collatis conſilijs velut in ſuos hoſtes inferebant. Verùm poſtea Iuriſdictionis exercitium deſeuiente barbarorum rabie, Eccleſiæ reſtitutum fuit, & facultas notionis, ſeu audientiæ, de qua in d. tit. de Epiſcopali audientia, tranſijt, ac potius redijt in poteſtatem ordinariæ Iuriſdictionis *cap. Cum Epiſcopus, 7. de offic. ord. in 6.*

CAP. VII.

Respondetur obiectionibus dicentium leges Ecclesiasticas sancitas esse ab Imperatoribus.

SVMMARIVM.

1. *Ratio cur nonnulli Imperatores Orientis varias leges Ecclesiasticas tulerint.*
2. *Cur nonnulli Imperatores confirmationem S. Pontificis vsurparint.*
3. *Theodoricum Imperatorem pœnituit quòd confirmationem Romani Pontificis sibi vsurparit.*
4. *Monitio Cardinalis Baronij ad Principes.*
5. *Magna & heroica libertas Theodori Episcopi erga Leonem Armenium Imperatorem.*

Cæterùm, quod reperitur nonnullos Imperatores veluti
1. Iustinianum, Constantium, & alios Imperatores Orientis varias leges Ecclesiasticas sanxisse, & in iura Ecclesiastica inuolasse hoc accidit, teste Baronio *tom. 8. Annal. anno Christi* „ *657.* quod cum Episcopi. (quæ ipsorum erat tum impotentia) „ sanciturì essent leges, præuiderentque, non ab omnibus receptas „ iri, eas nomine Imperatoris roborari curauerint, quò vel timore „ saltem subditi fideles perculsi, eadem reciperent Imperatoris no- „ mine sancita decreta: ita ille malè consulentes Ecclesiasticę liber- „ tati, Ius Ecclesiasticarum legûm condendarum, (quo nihil in „ Ecclesia Dei antiquius & præstantius.) spontè prostituerunt, vs- „ que adeò, vt etiam decreta fidei, imò & perfidiæ & impietatis, „ quibus suam quisque hæresim, siue schisma, roborare vellet, ea „ Imperatorum nomine promulgauerint, qui oblatam occasio- „ nem haut inuiti abripuerunt, quâ se, sicut laicis, ita & Eccle- „ siasticis, imperare velle iactitarent. Eodem mentis fascino capti sunt

ſunt nonnulli eiuſdem Imperij Cæſares, qui temerario auſu vſurpare non ſunt veriti Romani Pontificis confirmationem, contra omnia iura diuina, & humana, de quo valdè pœnituit Theodo-
ricum Imperatorem licet ſerò nimis, vtpotè poſt miſerabilem 3
illum exitum, quem ſuis depingit coloribus idem Cardinalis Ba-
ronius, monens idcircò Principes, vt dum in iura Eccleſiæ inuo- 4
lant pari exitu perire reformident, ne dum inconcuſſa præſu- »
munt, Eccleſiæ iura inuadere, & vitæ præſentis & æternæ diſ- »
pendium ſentiant, & regnum haud diu ad poſteros propagent, »
ſed exteris cedere cogant inuiti: quo certè iuſtius nihil dici po- »
teſt, vt à terrenis excidant, qui diuina temerariè peſſumdare ten- »
tant. Leoni Armenio Imperatori hæretico apertè & indigna- 5
bũdè obijcit quidam Theodorus Epiſcopus, Deum Eccleſiæ ſuæ conſtituiſſe Apoſtolos, Euangeliſtas, Prophetas, Paſtores, & Doctores, non etiam Reges, quos par eſt potius caſtris præeſſe, quam Eccleſijs. Pari etiam, id eſt maſculo animo Nicolaus Pa- »
pa I. Imperatori Michaeli ſcribit: Vbinam legiſtis Imperatores »
veſtros Synodalibus Conuentibus interfuiſſe, niſi fortè in qui- »
buſdam vbi de fide tractatum eſt, quæ omnium communis, quæ »
non ſolum ad Clericos, verumetiam ad laicos, & ad omnes om- »
ninò pertinet Chriſtianos?

CAP. VIII.

Errorem eſſe hæreticum, tollere ab Eccleſia Iuriſdictionem temporalem.

SVMMARIVM.

1. *HÆretici ſunt qui ab Eccleſia vnum è duobus gladijs auferunt.*
2. *Vterque gladius ad Romanum pertinet Pontificem.*
3. *Vterque gladius quomodo ab Eccleſia exercendus.*
4. *Senſus verborum, Conuerte gladium tuum in vaginam.*

Hæretici

1. Hæretici sunt qui ab Ecclesia Romana, Petri Cathedra, de duobus alterum gladium auferunt, & tantum spiritualem „ concedunt, ipso S. Bernardo dicente: Materialem gladium qui „ tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini „ dicentis: *Conuerte gladium tuum in vaginam*, De cuius vsu habet „ ista Gregorius IX. *in epistola ad Germanum Patriarcham, Constantinopolitanum*: Illud tantum adijcimus, quod vtrumque gladium
2. „ ad Romanum Pontificem pertinere, ex Euangelica lectione te„ nemus. Etenim loquente Iesu Discipulis suis de acquisitione „ gladij Spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Domi„ nus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet Spiritualis, & tem„ poralis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad „ potentiam temporalem, attende quod in Mathei Euangelio „ Dominus dicat Petro: Conuerte gladium tuum in locum suum, „ dicendo *tuum*, materialem significauit gladium, quo percussit ille „ seruum Principis Sacerdotum; de spirituali verò nemini venit in „ dubium, cum ei, id est Petro, per cuiusdam specialitatis apicem „ ligandi, atque soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur
3. „ gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus vnus; alius „ pro Ecclesia manu sæcularis Principis eximendus; vnus à Sacer„ dote; alius ad nutum Sacerdotis administrandus à milite. Hæc Gregorius. quibus consentanea sunt illa Bonifacij Papæ octaui: „ Vterque gladius est in potestate Ecclesiæ, Spiritualis scilicet, & „ Materialis: Sed is quidem pro Ecclesia; ille vero ab Ecclesia „ exercendus: Ille Sacerdotis; is manu Regum & militum, sed ad „ nutum, & patientiam, cum videlicet iubet, vel spontè facienti „ consentit, & pergit: Oportet autem gladium esse sub gladio, & „ temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati: Hæc Bonifacius. Quibus sic assentiuntur omnes, vt nullus discrepet, nisi qui dissidio ab Ecclesia excidit, teste Baronio *tom 11. Annal.* confirmanturque per ea quæ argutè scribit in eandem sententiam
4. Boëtius Epo, *de Iurisd. Eccles. potest.* dicens per illa verba: *Conuerte gladium*

gladium tuum in vaginam: non illic agi de perpetuæ Iurisdictionis negotio, sed solum de non impediendа tum temporis apprehensione Christi, sequitur enim; *calicem quem dedit mihi Pater vis vt non bibam?* quinimò potius pro hac nostra sententia facere videtur locus ille, dum gladium hunc materialem confirmat esse proprium Petri: qui namque gladium tuum dicit, gladium tibi proprium dicit, vt paulò antè verbis S. Gregorij ostensum est.

CAP. IX.

Proprium esse Tyrannorum iura Ecclesiæ violare.

SVMMARIVM.

1. *Ioannes tyrannus & persecutor Ecclesiæ, & Iurisdictionis violator Ecclesiasticæ.*
2. *Auctoris studium neminem vellicandi.*

Illustri hâc assertionē probat exemplo Cardinalis Baronius in annalibus *sub annum Christi 423.* in Ioanne, qui mortuo Honorio Imperium occidentale inuadere conabatur. verba Baronij sunt: Quod ad ipsum occidentale Imperium spectat; ipso exordio Principatus sui, æquè aduersus Dei Ecclesiam bellum parauit. Etenim simul ac inuasit Imperium, primum omnium, omnia simul ab ea priuilegia abstulit, quæ à Christianis Imperatoribus, cum locis, tum personis Ecclesiasticis collata fuerant; & inter alia omnem clericis ademit fori sæcularis exemptionem, quos omnes penes sæculares Iudices causam dicere, & ab eis sententiam expectare voluit. hæc quidem omnia ab eo peracta, Valentiniani sanctio, quæ ablata ab eo priuilegia reuocauit, edocet quam suo loco reddidimus. Istis sibi malis ad suum interitum viam miserum illum patefecisse, infælix exitus declarauit. His planè & alijs innumeris exemplis edocetur religionis & Eccle-

 siasticorum

primitiuæ Ecclesiæ duo habuisse genera Administratorum: Alterum Sacerdotum; alterum Iudicum. Illi in maximis & difficillimis rebus operam nauabant, quasi Cōsiliarij & Assessores Episcopi, de quibus Paulus *2. Timot. 5. Qui bene præsunt præsbyteri duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & doctrina*. Isti cognoscebant de causis inter Christianos, qui Iurisdictioni Episcopi patientiam accōmodare debebant. Itaque locus
2. ille Pauli præcitatus 1. *Cor. 6*. sic intelligendus est, ne coram Iudicibus Ethnicis, vel nondum Christianis primi illi fideles litigarent: Ideoq́ue controuersias inter se, vel amicè componi, (nam alibi dicit *seruum Domini non oportere litigare*, 2. Timoth. 2. vers. 24) vel certè coram Iudicibus Christianis disceptari, dirimique, non quidem à viris Apostolicis, sed inferioribus quibusdam Clericis, siue Laicis id munus demandari desiderat, etiamsi eiusmodi Iudices & Christiani tum omnes ab Ethnicis cōtemnerentur. Quod quidem idcircò desiderabat Paulus, ne Ecclesiastici præcipuæ notæ, cæterique Ecclesiæ Rectores, per eiusmodi sæcularia negotia, à Christianæ fidei propagatione auocarentur. *Anast. Germonius de sacrorum immunitatibus lib. 2. cap. 13. nu. 27.* Quod & probat Boëtius Epo *de Iurisdict Eccles. tempor*. D. Au-
3. gustini dicto, loquentis de sæcularibus iudicijs per contemptibiles finiendis in hæc verba: Igitur Sapientes, inquit, qui in locis consistebant fideles, & sancti, non qui hac atque illac propter Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores Paulus esse voluit; à quibus excusare nos non possemus etsi velimus. Christum in testem inuoco, quoniam mallem per singulos dies certis horis aliquid manibus operari, & cæteras horas habere liberas ad legendum & orandum, vel ad agendum aliquid de diuinis literis, quam tumultuosissimas perplexitates causarum pati de negotijs sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniēdo precidēdis. Hactenus ipse D. Augustinus. Et in epist. 47 *ad Proculianum*: Et homines quidem causas, inquit suas seculares
apud

apud nos finire cupientes, quando eis necessarij fuerimus, hic nos „
Sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: „
aliquando & nos agamus negotia salutis nostræ, & salutis ipso- „
rum, non de auro, non de argento, non de pecoribus pro quibus „
quotidie submisso capite salutamur. Denique Possidonius in 4.
eius vita *lib. 8 c. 19.* ostendit, ipsum vacasse litibus dirimendis aliquando vsque ad horam, inquit, refectionis; aliquando tota die ieiunasse vt ius diceret, & caussas dirimeret. *refert Baron. tom. v. Annal, anno Christi 398.*

5. Cognoscebant ergò Clerici quoque de ciuilibus controuersijs; etiam inter sæculares, & hoc necessarium censebatur, nec excusatio clericis dabatur.

6. Constat similiter S. Ioannem Chrysostomum ius dixisse in causis ciuilibus inter personas merè laicas, vt in illa istius viduæ, cuius debitorem suis curauerat mancipari carceribus.

7. Vnde etiam videmus Episcopos proprios habuisse carceres in quos obnoxij debitis, & alij inter reos rerum & debitorum ciuilium relati conijciebantur, teste Illustriss. Card. Baronio *tom. 5. Annal. anno Christi 461.* Quid multis? De B. Ambrosio refert B. Augustinus *confess. 6. cap. 3.* adeò illum fuisse obrutum cognitione alienarum caussarum, vt vix daretur ei respirandi facultas, atque adeò toto tempore quo ipse Augustinus Mediolani resedit, nunquam nactus sit Ambrosium ab his liberum & otiosum.

8. Sinesius verò ex Philosopho factus Episcopus Ptolemaidis sub annum Christi 411. vir sanctissimus, conqueritur quod negotijs ciuilibus obrueretur, multisque suspirijs ingemiscit, quod Episcopali muneri Dicasterium iungere deberet: adeò vt ob eam caussam de Episcopatu dimittendo cogitaret. non condemno, inquit, Episcopos qui in rerum negotijs versantur, sed ignarus me ipsum vix in theatrum peruenire, admiror eos qui vtrumque possunt. Mea facultas non est duobus Dominis seruire; si verò sunt aliqui, qui neque à conscientia læduntur, pote-

3. *Potestas Episcopis iudicandi inter laicos, concessa est non tam ab Imperatoribus, quam ab Apostolis.*
4. *D. Augustinus præest iuridicundo, etiam in profanis caussis.*
5. *Omnis Iurisdictio ab ipso Papa, tanquam à fonte procedit.*

QVantum Carolus ille Magnus, verè magnum Ecclesiæ columen & decus, detulerit Ecclesiastico foro, facile colligere est ex eius constitntione, quam ex cap. Nouit, de Iudicijs & alijs, Illustrissimus Cardin. Baronius *tom. 9. Annal sub annum Christi 801.* refert his verbis: Quicumque litem habens, 1.
siue possessor, siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis tē- »
porum curriculis, siue cum negotium peroratur; siue cum ince- »
perit, sententia promi, si Iudicium elegerit Sacrosanctæ legis »
Antistitis; illicò sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refra- »
gatur, ad Episcoporum Iudicium, cum sermone litigantium di- »
rigatur: Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vin- »
culo promi non patiuntur, inuestigat & promit Sacrosanctæ Re- »
ligionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel Prætorio Iure »
vel ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpe- »
tuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius tractari nego- »
tium, quod Episcoporum sententijs deciderit. Testimonium »
etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes Iudices indubi- »
tanter accipiant, nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi »
à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis »
auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à Sacrosancto »
homine, conscientia mentis illibatæ, protulerit, hoc nos edicto »
salubri aliquando censuimus; hac perpetua lege firmamus, ma- »
litiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines longis, ac »
peuè perpetuis actionum laqueis impliciti, ab improbis petitio- »
nibus, vel à cupiditate perpera maturo fine discedant. Quidquid »
itaque de sententijs Episcoporum clementia nostra censuerat, »
etiam hac sumus lege complexi, grauitatem tuam, & cæteros »

" pro vtilitate omnium, in perpetuum obseruare conueniet.
Ista sunt quæ ex Theodosio Carolus Imperator ab Imperatore mutuatus, pius ex pio, iustissimus ex iustissimo, vtroque Christianæ religionis decore maximo & ornamento, siue virtutem militarem spectes in eis, siue cultum fidei Orthodoxæ, vel erga
2. subditos sibi populos regimen probatissimũ. Hæc audiãt & erubescãt illi, inquit Baron. qui his penitus aduersarias leges statuũt & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes quacumque occasione prætensa, via indirecta procurant, ne laici ipsi attingant limen Ecclesiastici fori. Timeo, timeo, inquit, istis, nequando, si ista facere perseuerant (quod absit) Deus vindex tandem exurgens, virga furoris ferrea, secundum illud Dauidicum, *tanquam vas figuli confringat eos*, vndè & ob imminens quod astat periculum æque cum eodem ipso ex alto corde vociferor: *Nunc Reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram*, & exemplo discite Caroli ex obedientia & obseruantia erga Apostolicam fidem, Regna & Imperia propagare, atque firmiter stabilire. hæc Baron. *tom. 9. Annal. sub annum Christi 801. & sub annum Christi 398.* vbi etiam ostendit ex verbis S. Augustini *tract. de opere Monach. cap. 29.*
3. potestatem Episcopis iudicandi inter laicos concessam, non tam ab Imperatoribus, quam ab Apostolis collatam esse: Dominum
" Iesum, (inquit, in cuius nomine securus hæc ago) testem inuoco
" super animam meam, quoniam quantum attinet ad meum com-
" modum, multò mallem per dies singulos certis horis aliquid
" manibus operari, & certas horas habere ad legendum & oran-
" dum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quam tumul-
4. tuosissimas perplexitates caussarum alienarum pati de negotijs
" sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præci-
" dendis, quibus nos molestijs, idem affixit Apostolus, non vtique
" suo, sed eius qui in eo loquebatur arbitrio. Vnde vides non alicuius Honorij, aut Theodosij, vel Caroli Magni legibus, sed
Apostoli

Apostoli Pauli decretis eiusmodi iudicio præfectos esse Episcopos, *Pet. Bertrandi de Iurisd. Eccles. & saecul. q. 3. nu. 27. & seqq. p.* Gonzalez *ad Reg. VIII. Cancell. in Proœm. §. 1. nu. 9. & seqq.* vbi scribit omnem Iurisdictionem ab ipso Papa, tanquam fonte procedere *Alex. l. 1. nu. fin. vers. Vnde dicit Bald. de Iurisd. om. iud.*

Vnde considera, lector, quam malè animati sunt erga matrem Ecclesiam, qui dicunt olim penes Episcopos nullam aliam fuisse Iurisdictionem quam inter Clericos & Monachos in caussa nimirum religionis, vel disciplinæ Ecclesiasticæ, & non in alios, vel in alijs caussis, nisi inter consentientes, vt habetur in tit. de Episc. audien. & ibi Cuiacius. Debuerunt considerasse & attendisse hanc Caroli Magni, seu Theodosij Constitutionem supra relatam, vt & præcedens S. Augustini exemplum: ac si quis forte contrarius vsus fuerit tempore Imp. Valentiniani & Valentis, aut Arcadij & Honorij quorum referuntur Constitutiones sub dicto titulo Cod. Iustiniani, de Episcopali audientia, hoc euenit, rebus Episcoporum tum accisis: nam ea tempestate Wandali, Alanis, Gothis & alijs barbaris nationibus permixti, nedum Africam, sed totam Europam infestabant, & quicquid contumeliarum Catholicis Episcopis irrogare poterant, collatis consilijs velut in suos hostes inferebant. Verùm postea Iurisdictionis exercitium defeuiente barbarorum rabie, Ecclesiæ restitutum fuit, & facultas notionis, seu audientiæ, de qua in d. tit. de Episcopali audientia, transijt, ac potius redijt in potestatem ordinariæ Iurisdictionis *cap. Cum Episcopus, 7. de offic. ord. in 6.*

CAP. VII.

Respondetur obiectionibus dicentium leges Ecclesiasticas sancitas esse ab Imperatoribus.

SVMMARIVM.

1. *Ratio cur nonnulli Imperatores Orientis varias leges Ecclesiasticas tulerint.*
2. *Cur nonnulli Imperatores confirmationem S. Pontificis vsurparint.*
3. *Theodoricum Imperatorem pœnituit quòd confirmationem Romani Pontificis sibi vsurparit.*
4. *Monitio Cardinalis Baronij ad Principes.*
5. *Magna & heroica libertas Theodori Episcopi erga Leonem Armenium Imperatorem.*

Cæterùm, quod reperitur nonnullos Imperatores veluti
1. Iustinianum, Constantium, & alios Imperatores Orientis varias leges Ecclesiasticas sanxisse, & in iura Ecclesiastica inuolasse hoc accidit, teste Baronio *tom. 8. Annal. anno Christi* „ *657.* quod cum Episcopi. (quæ ipsorum erat tum impotentia) „ sancituri essent leges, præuiderentque, non ab omnibus receptas „ iri, eas nomine Imperatoris roborari curauerint, quò vel timore „ saltem subditi fideles perculsi, eadem reciperent Imperatoris no- „ mine sancita decreta: ita ille malè consulentes Ecclesiasticę liber- „ tati, Ius Ecclesiasticarum legûm condendarum, (quo nihil in „ Ecclesia Dei antiquius & præstantius.) spontè prostituerunt, vs- „ que adeò, vt etiam decreta fidei, imò & perfidiæ & impietatis, „ quibus suam quisque hæresim, siue schisma, roborare vellet, ea „ Imperatorum nomine promulgauerint, qui oblatam occasio- „ nem haut inuiti abripuerunt, quâ se, sicut laicis, ita & Eccle- „ siasticis, imperare velle iactitarent. Eodem mentis fascino capti sunt

sunt nonnulli eiusdem Imperij Cæsares, qui temerario ausu vsurpare non sunt veriti Romani Pontificis confirmationem, contra omnia iura diuina, & humana, de quo valdè pœnituit Theodoricum Imperatorem licet serò nimis, vtpotè post miserabilem illum exitum, quem suis depingit coloribus idem Cardinalis Baronius, monens idcircò Principes, vt dum in iura Ecclesiæ inuolant pari exitu perire reformident, ne dum inconcussa præsumunt, Ecclesiæ iura inuadere, & vitæ præsentis & æternæ dispendium sentiant, & regnum haud diu ad posteros propagent, sed exteris cedere cogant inuiti: quo certè iustius nihil dici potest, vt à terrenis excidant, qui diuina temerariè pessumdare tentant. Leoni Armenio Imperatori hæretico apertè & indignabūdè obijcit quidam Theodorus Episcopus, Deum Ecclesiæ suæ constituisse Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Pastores, & Doctores, non etiam Reges, quos par est potius castris præesse, quam Ecclesijs. Pari etiam, id est masculo animo Nicolaus Papa I. Imperatori Michaeli scribit: Vbinam legistis Imperatores vestros Synodalibus Conuentibus interfuisse, nisi fortè in quibusdam vbi de fide tractatum est, quæ omnium communis, quæ non solum ad Clericos, verumetiam ad laicos, & ad omnes omninò pertinet Christianos?

CAP. VIII.

Errorem esse hæreticum, tollere ab Ecclesia Iurisdictionem temporalem.

SVMMARIVM.

1. *HÆretici sunt qui ab Ecclesia vnum è duobus gladijs auferunt.*
2. *Vterque gladius ad Romanum pertinet Pontificem.*
3. *Vterque gladius quomodo ab Ecclesia exercendus.*
4. *Sensus verborum, Conuerte gladium tuum in vaginam.*

Hæretici

1. Hæretici sunt qui ab Ecclesia Romana, Petri Cathedra, de
duobus alterum gladium auferunt, & tantum spiritualem
concedunt, ipso S. Bernardo dicente: Materialem gladium qui
tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini
dicentis: *Converte gladium tuum in vaginam*, De cuius vsu habet
ista Gregorius IX. *in epistola ad Germanum Patriarcham, Constan-
tinopolitanum:* Illud tantum adijcimus, quod vtrumque gladium
2. ad Romanum Pontificem pertinere, ex Euangelica lectione te-
nemus. Etenim loquente Iesu Discipulis suis de acquisitione
gladij Spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Domi-
nus dixit sufficere, ad cohibitionem videlicet Spiritualis, & tem-
poralis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad
potentiam temporalem, attende quod in Mathei Euangelio
Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum suum,
dicendo *tuum*, materialem significauit gladium, quo percussit ille
seruum Principis Sacerdotum; de spirituali verò nemini venit in
dubium, cum ei, id est Petro, per cuiusdam specialitatis apicem
ligandi, atque soluendi commiserit potestatem. Vterque igitur
3. gladius Ecclesiæ traditur, sed ab Ecclesia exercendus vnus; alius
pro Ecclesia manu sæcularis Principis eximendus; vnus à Sacer-
dote; alius ad nutum Sacerdotis administrandus à milite. Hæc
Gregorius. quibus consentanea sunt illa Bonifacij Papæ octaui:
Vterque gladius est in potestate Ecclesiæ, Spiritualis scilicet, &
Materialis: Sed is quidem pro Ecclesia; ille vero ab Ecclesia
exercendus: Ille Sacerdotis; is manu Regum & militum, sed ad
nutum, & patientiam, cum videlicet iubet, vel spontè facienti
consentit, & pergit: Oportet autem gladium esse sub gladio, &
temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati: Hæc Boni-
facius. Quibus sic assentiuntur omnes, vt nullus discrepet, nisi
qui dissidio ab Ecclesia excidit, teste Baronio *tom 11. Annal.* con-
firmanturque per ea quæ argutè scribit in eandem sententiam
4. Boëtius Epo, *de Iurisd. Eccles. potest.* dicens per illa verba: *Converte
gladium*

gladium tuum in vaginam: non illic agi de perpetuæ Iurisdictionis negotio, sed solum de non impedienda tum temporis apprehensione Christi, sequitur enim; *calicem quem dedit mihi Pater vis vt non bibam?* quinimò potius pro hac nostra sententia facere videtur locus ille, dum gladium hunc materialem confirmat esse proprium Petri: qui namque gladium tuum dicit, gladium tibi proprium dicit, vt paulò antè verbis S. Gregorij ostensum est.

CAP. IX.

Proprium esse Tyrannorum iura Ecclesiæ violare.

SVMMARIVM.

1. *Ioannes tyrannus & persecutor Ecclesiæ, & Iurisdictionis violator Ecclesiasticæ.*
2. *Auctoris studium neminem vellicandi.*

ILlustri hâc assertione probat exemplo Cardinalis Baronius in annalibus *sub annum Christi 423.* in Ioanne, qui mortuo Honorio Imperium occidentale inuadere conabatur. verba Baronij sunt: Quod ad ipsum occidentale Imperium spectat; ipso exordio Principatus sui, æquè aduersus Dei Ecclesiam bellum parauit. Etenim simul ac inuasit Imperium, primum omnium, omnia simul ab ea priuilegia abstulit, quæ à Christianis Imperatoribus, cum locis, tum personis Ecclesiasticis collata fuerant; & inter alia omnem clericis ademit fori sæcularis exemptionem, quos omnes penes sæculares Iudices causam dicere, & ab eis sententiam expectare voluit. hæc quidem omnia ab eo peracta, Valentiniani sanctio, quæ ablata ab eo priuilegia reuocauit, edocet quam suo loco reddidimus. Istis sibi malis ad suum interitum viam miserum illum patefecisse, infælix exitus declarauit. His planè & alijs innumeris exemplis edocetur religionis & Ecclesiasticorum

» siasticorum iurium defensionem esse solidum ad sustinendam
» molem Imperij fundamentum: quo si careat, corruat necesse est
» vt malè consultus suo damno Ioannes expertus est. Hæc Baronius loco præcitato. Verum, hac de re latissimus datus est spatiandi cãpus Iano Etymo in Parenæsi aduersus Ecclesiæ Leod. Ma-
2. styges. Quamquã ego hac fini nec scribo, nec ista probo vt quemquam malignè vellicem aut tacitè insimulem, sed vt impietate hostium Ecclesiæ commemoratâ, commendationem accipiant qui animum his moribus imbutum non habent: quod sæpius in hoc opusculo repetitum volo.

CAP. X.

Quæ contra Ecclesiasticam Iurisdictionem proponuntur obiectiones, breuiter dissoluuntur.

SVMMARIVM.

1. *Obiectiones contra temporalem potestatem Ecclesiæ competentem adducuntur & resoluuntur.*
2. *Vna & eadem res diuerso iure censeri non debet.*
3. *Quilibet laicus Christianus vtrique gladio subiectus est.*
4. *Tempore primitiuæ Ecclesiæ & æuo Caroli Magni, Episcopi Iudices erãt causarum ciuilium in prima Instantia, & in gradu appellationis si Actor vel Reus Episcopum appellaret.*
5. *Episcopi in proprijs caussis de re ciuili ius sibi dicebant.*
6. *Magna Episcoporum integritas.*
7. *Episcoporum encomia.*

NAuarrus clarissimus ille & certissimus Canonum interpres: *in Relectione cap. Nouit. de Iudic. Notab. 6. nu. 15.* conglomerat diuersos obices qui videntur obsistere aduersus Ecclesiasticam potestatem, seu Iurisdictionem temporalem, quam alioqui plusculis antehac rationibus adstruere conati sumus. Præci-
1. pui autem sunt isti. Obijcitur itaque primo, Admittendo temporalem potestatem in Ecclesia, ex eo quod spectet ad Papam de quocumque peccato mortali quemlibet Christianum corripere *vt habetur in cap. Nouit. 13. de Iudic. & in cap. quæcumque 11. quæst. 1.* sequeretur omnes caussas fori sæcularis posse trahi ad Ecclesiasticum,

sticum, cum ferè omnes illæ, siue tangant vltimas voluntates, siue contractus, siue delicta, & iudicia, super peccatis mortiferis vertantur: quippè quæ mouentur super iniustitia, quam constat suaptè natura esse peccatum letale, secundum S. Thomam receptum *in 2. 2. q. 59. art. 4.*

Secundo, quod videtur ex eo consequi omnia crimina esse vel spiritualia, vel mixti fori, & nulla omnino sæcularia & prophana. Quandoquidem de omnibus potest Ecclesiasticus adiri, secundum dictam propositionem & illius fundamenta: quod tamen consequens, est contra omnium scripta. *in c. cum sit de foro compet. & in c. vt inquisitionis. §. prohibemus. de hæret. lib. 6. & in c. 1. de offic. ordina. & alibi sæpè.*

Tertio, quod cum vna & eadem res non debeat diuerso Iure censeri, *cap. cognouimus. 12. q. 2.* durum videtur, quod Christianus, quatenus homo & ciuis censendus, & Iudicandus sit per sæcularem Iudicem, & quatenus Christianus per Ecclesiasticum.

Quarto, & grauius, quod etiam ex eo consequeretur, nullum Christianum ob vllum delictum vel maleficum occidi, membroue mutilari posse: quia omnis Christianus quatenus huius- 2. modi, est res supernaturalis, & spiritualis: & per consecutionem quæ ratio inuenitur in Clerico ne id ei fiat, eadem videtur inueniri in laico Christiano.

Quarto, videtur consequi, quod etiam Clerici, quatenus sunt homines, & ciues, subijcerentur potestati sæculari, & laicæ, sicut quatenus sunt Christiani, & clerici subijciuntur spirituali, & Ecclesiasticæ; quod tamen est falsum, *per cap. Clerici. de Jud. & cap. 2. de foro compet. cum alijs.*

Respondet Nauar, ad primum, quod licet omnes ferè caussæ quæ vertuntur coram iudicibus tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis agitentur super Iniustitia, quæ suaptè natura est peccatum mortale, non tamen vertuntur super ea quatenus est peccatum letale occidens animam, & priuans eam vita diuinæ gratiæ,

 sed

sed quatenus est iniustitia & iniquitas contra rationem naturalem & leges per eam constitutas admissa.

Insuper respondetur, negando omnes caussas posse trahi ad forum Ecclesiasticum, cum sit in optione Actoris recurrere ad alterutrum, Ecclesiasticum scilicet, & laicum. Si enim actor voluerit, poterit Reum conuenire coram sæculari, & tunc Iudex laicus cognoscet; si coram Ecclesiastico, etiam poterit, intentando actionem iniuriæ vel peccati, quia quilibet laicus Christianus
3. est vtrique Iudicio subiectus, vni vt ciuis, alij vt Christianus, *Pet. Bertrandi tract. de origine Iurisd. Eccles. & sæcul. quæst. 3. nu. 23.* per quæ videntur reliqua solui, in cōtrarium adducta; sin minus, consulat qui volet Nauarrum loco citato, ad quem breuitatis caussa lectorem remitto. Corollarij tamen loco subnecto, rationes ex aduerso allegatas fuisse satis expensas tempore primitiuæ Ec-
4. clesiæ, & æuo Caroli Magni, quo tempore constat Laicorum caussas Episcopos terminasse, Iudicesque eorum fuisse etiam in prima instantia, & in gradu appellationis, si actor vel Reus appellans ad Episcopum litem dirigeret, etiam aduersario refragante *cap. Nouit. de Iudic. c. omnis c. quicumque 11. q. 3. Iuo Carnotensis lib. 5. Decreti, Filesacus de Sacra Episcoporum auctoritate c. 1. §. 17. vsque ad 20.* vbi dicit quod ante tempora Constantini Magni iam erat in vsu ista auctoritas & Iurisdictio, vt & nos supra ostendimus cap. v. & vj. Imò, quod singulare est, vt notat nouissime
5. D. Mauritius de Alzedo Hispanus *in suo docto tract. de Præcellentia Episcopalis dignitatis part. 1. c. 11. nu. 42.* etiam in propria caussa ius sibi dicebant, *Cassiodorus lib. 3. Var. epist. 3. & Filesacus vbi supra*, allegat Theodorici Regis verba in hunc modum: „In alienis causis, inquit Rex, beatitudinem vestram conuenit adhiberi „vt per vos iurgantium strepitus conquiescat. & postea: Caussarum „vestrarum qualitas vobis debet iudicibus terminari à quibus „est expectanda magis, quam imponenda Iustitia. Loquitur enim ibi de Petro Episcopo, inter quem & quendam primatem de hæreditate

reditate orta erat quæstio, & ipsum in propria caussa Iudicem esse declarat, *Doctor Mauricius d. c. 11. nu. 43.* quod opinor eo 5.
factum, quòd tanta inerat Episcopo auctoritas, vitæ sanctitas & integritas, vt ne minimum quidem de alieno delibare velle crederetur. testor Prosperum Aquitanum *lib. 2. de Vita actiua* 7.
& contemplatiua cap. 2. quem refert Alzedo *cap. 9. in fi.* Episcopi, inquit, per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis iudices Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fideles populi Duces, veritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, Patres in fide Catholica regeneratorum, Prædicatores cælestium præmiorum, exemplar bonorum operum documenta virtutum & forma fidelium, ipsi sunt Ecclesiæ decus in quibus fulget Ecclesia, ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur multitudo credentium, ipsi ianuæ Ciuitatis æternæ, per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Christum, ipsi ianitores quibus datæ sunt claues regni cœlorum, ipsi etiam dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum. Hæc ille. quibus alios titulos ex alijs subijcit idem Alzedo *cap. 9. & 10.* quod Episcopus sit sūmus Sacerdos & Antistes, Vicarius Christi repræsentans personam & imaginem Dei, Pater & columna Ecclesiæ, Oculus gregis & custos Ciuitatis, Curator & Dominus subditorum, dicitur etiam Sacrosanctus & Deo amabilis Religiosissimus, Reuerendissimus, persona notabilis, honesta, magna, egregia, excelsa, spectabilis, clarissima, eminentissima: vnde quoad ordinē æqualis est Papæ, qui illos Fratres & Coëpiscopos appellat: est enim prima dignitas post Papatum, maior Imperatore seu Rege, qui cum subsit ei in Iurisdictione Ecclesiastica potest ab eo excommunicari, vt hoc aliaque prædicta multis auctoritatibus probat idem Mauricius de Alzedo *d. tract. cap. 8. nu. 51.*

CHAP. XI.

Olim Rei omnes Capitalis iudicij reuocabantur ab Episcopis, hodie non nisi Clerici gerentes habitum clericalem, iuxta Concilium, Tridentinum, & apud Leodienses. statuta Consistorialia.

SVMMARIVM.

1. *REi capitalis criminis promiscuè per Episcopos à Iudicibus laicis reuocabantur.*
2. *Hodie Clerici dumtaxat gaudent priuilegio fori Ecclesiastici.*
3. *Nonnulli casus quibus Clerici non gaudent priuilegio fori.*
4. *Monitio specialis requiritur vt clericus gestet habitum clericalem si debeat priuari priuilegio fori.*
5. *Clerici solum obtinent Mandata Jnhibitoria aduersus Iudices profanos in causis criminalibus.*
6. *Iudex profanus non tenetur parère Iudici Ecclesiastico inhibenti ob delictum laici.*
7. *Etiam si Inhibitio contineat pœnam Censurarum.*

TAntus erat tempore primitiuæ Ecclesiæ Iurisdictionis Episcopalis fauor, & Principum secularium ac Magistratuum in Episcopos affectus tantus, vt liberè licitèque possent Reos de-
1. linquentes ad se pro coërcitione reuocare. Testor S. Augustinum *Epist. 53. ad Macedonium Proconsulem*, cuius meminit Card. Baronius *tom. V. Annal. pag. 7.* qui fatetur quidem non ita posci ab Episcopis veniam delinquentium, vt impuniti permaneant, sed vt ad delictorum pœnitentiam reseruentur: Nam quosdam, inquit, quorum crimina manifesta sunt, à vestra seueritate liberatos, à societate tamen remouemus altaris, vt pœnitudo placare possit, quem peccando contempserant, sese ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi, vt id quod malè fecerit impunitum esse non sinat. Ita ille.

Hodier-

Hodierno tamen iure, ad instantiam Regum ne, ipsorum Iurisdictio penitus periret, sublatum est istud fori priuilegium, quo solum gaudent Clerici, qui prima saltē tonsura initiati Clericalem habitum & tonsuram deferunt, vel de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ deseruiunt; alioqui, qui diu sine habitu & tonsura incedunt, nec alicui seruiunt Ecclesiæ, non gaudent priuilegio fori, *Nauar. Consil. 25. de priuilegijs*, Cardinalis Tuschus *tom. 4. pract. conclus. conclus. 453.* vbi varios insuper cumulat casus, quibus non est locus priuilegio fori, inter quos censetur is qui degradatus est, qui est bigamus, qui exercet artem mechanicam, qui factus est Clericus postquam est inquisitus, item offendens Officiales sæculares, vsurpantes Iurisdictionem sæcularē, qui arma bellica exercent, qui crimen læsæ Majestatis commiserint, qui irregularis est, vel Apostata, qui se enormibus immiscuit, licet in isto requiratur trina monitio *Capicius decis. 161. nu. 3. per tot. Iul. Clarus §. fin. quæst. 36. nu. 19. Conar. tom. 2. pract. quæst. cap. 32 & quidem specialis.* Vndè monitiones annuæ indici solitæ per Officialem Leodiensem de gestando habitu, parui sunt roboris, cum requiratur monitio specialis in personam, nec afficiunt Clericos minimè coniugatos *Io. And. & DD. in clem. 1. de vita & honest. Cler. Grāmat. voto 32. nu. 13.* Quando tamen exstat consuetudo, quod clericus gaudeat priuilegio fori, etiamsi non incedat in habitu & tonsura, illa esset seruanda, teste Tuscho *conclus. 395. nu. 16.*

2.

3.

4.

Id etiam in Dicasterio Leodiensi obseruatum, vt in caussis criminalibus appræhensionem, seu pœnam corporalē mœrentibus criminaliter, aut per Inquæstam intentatis, non liceat cuiquam, nisi Clericis (iuxta S. Concilium Tridentinum, *sess. 23. cap. 6. de reform.*) Mandata Inhibitorialia aduersus Villicos, vel Fiscos, seu Officiales impetrare, & si impetrata fuerint irrita declarantur, *Statuta Ernestina tit. de Inhibitio. art. 22.* Vnde si Iudex Ecclesiasticus inhibeat Iudici Laico, nè de aliqua caussa Laici cognoscat, non tenetur ei obedire *Card. Tuschus tom. 4. conclus. 451.* 5.

quod

7. *Episcopus ordinariam habet Iurisdictionem per totam Diœcesim etiam sub territorio alterius Principis.*

8. *Subditi Ducis Brabantiæ Diœcesis Leodien. deberent appellare Episcopum Leodiensem.*

9. *Clausula sententiæ Compromissi inter Episcopum Leodiensem & Ducem Brabantiæ.*

10. *Appellationes gradatim ad Iudices eiusdem gradus interponi debent.*

11. *A sententia Episcoporum ad Metropolitanum vel Papam eiusve Nuncium appellatur etiam in Germania.*

12. *In Gallia ab Ecclesiasticis ad Curias supremas Parlamentorum appellatur tanquam ab abusu.*

13. *In Germania vbi Iudex Ecclesiasticus habet Iurisdictionem proprio iure ad illum appellandum est, non ad Laicum.*

14. *Officialis Leodiensis habet Iurisdictionem ab Episcopo non quà Princeps est, sed quà Episcopus.*

15. *Omnia bona Episcopi Leodiensis sunt exempta & libera ab omnibus Iurisdictionibus & superioritatibus ordinarijs, suntque immediatè subiecta Romano Pontifici.* 2.

16. *Episcopus Princeps Leodiensis seu eius Officialis habet fundatam in iure intentionem exercendo Iurisdictionem in caussis Ciuilibus tam inter Clericos, quam Laicos, tam proprio iure, quam longissima consuetudine.*

17. *Officialis Leodiensis ostenditur Iudex Ecclesiasticus independens ab Imperatore: qui Officialis desumitur ex gremio Capituli Cathedralis & intra septa Ecclesiæ ius dicit.*

18. *Episcopus Leodiensis condit statuta Curiæ suæ sine ordinum assensu, licet non item statuta Curiæ secularis.*

19. *Officialium Principum Electorum Ecclesiasticorum Germaniæ potestas.*

20. *Iudicia Electoralia Principum Electorum.*

21. *Maximi refert conscientiæ & auctoritatis Principum Ecclesiasticorum*

siasticorum Curias suas spirituales tueri ac defendere, & impedire recursum ad Cameram Imperialem, & quare?

APpellationum vsus, quam vbique sit frequens & necessarius, satis indicat Vlp. *in l. 1. ff. de appellat.* eamque definit
1 Pet. Greg. *lib. 50. Syntag. cap. 2. nu. 3.* vt sit inuocatio auxilij superioris Iudicis ad emendanda facta per inferiorem. An autem à sententijs in caussis merè profanis per Officiales & Iudices Ecclesiasticos latis appelletur ad Papam, eiusvè Nuncios, an verò ad Iudices profanos, aut ad Cameram, non satis inter Consultos vtriusque iuris conuenit. Sunt enim qui in eiusmodi caussis ad Iudices
2 profanos appellandum esse censent, inter quos video Marchesanum Iurisconsultum Romanum. *tract. de commission. parte 2. cap. 1. nu. 43.* vbi scribit Papam temporalium Dominorum Iurisdictionem, dummodo caussæ cognitio ad forum Ecclesiasticum non pertineat, non intendere turbare *Abb. in cap. ex suscepto nu. 2. & 6. de foro comp.* Imò, si ad Papam in ciuilibus caussis appellatio interponatur ex commissione formæ substantialis non subsistet, inquit Marchesan potissimum cum necessariò requiratur, vt ad superiorem appelletur, *secundum glo. in cap. 2. de Consuet, in 6. & DD. in Rub. de appellat.* nec Papa in terris Imperij ac aliorum
3 Dominorum, dicatur in temporalibus Iurisdictionis temporalis Dominus, cum illam regulariter exercere nequeat in caussis profanis contra Laicos, ideò respectu formæ appellatio ad eum in-
4 terposita erit nulla *Ruin. Consil. 113. nu. 6. & 7. vol. 4. DD. in cap. licet de foro comp.*

Vnde sequitur inquit, quod cum Iudex Ecclesiasticus superioritatem non habeat in ciuilem seu sæcularem Iudicem, vt nec è diuerso, & multo minus ciuilis Iudex potestatem vllam habeat in Ecclesiasticum Iudicem, propter Iurisdictionum stationes diuersas & separatas, *cap. Venerabilem de Electio DD. cap. Nouit.* à ciuili seu profano Iudice non sit appellandũ ad Ecclesiasticum, sed

sed ad alium profanum, seu saecularem Iudicem, superiorem, seu maiorem, *Wamel. in cap. si duobus 1. §. denique nu. 1. de appellat:* Verum respondetur, haec vera esse in Iudice Ecclesiastico qui non habet territorium: Nam in caussis in quibus Episcopi temporalem habent Iurisdictionem, appellatio interponenda est 5. non ad saecularem, sed ad superiorem Ecclesiasticum, *cap. Romana §. debet de appellat in 6.* vt proximè dicemus. Vndè si agatur coram Ordinario de re seu causa temporali, modo non sit feudalis, tunc appellabitur ad superiorem illius Iudicis, ad quem solent 6. deuolui appellationes de iure communi, vel alias ex vsu & consuetudine, *Io. Raynandi in cap. Imperialem §. praeterea cùm inter nu. 4 de Prohib. feudi alien. per feder.* atque ita cum Episcopus habeat ordinariam Iurisdictionem per totam Dioecesim *cap Cum Episcopus 7. de Offic. ord. in 6.* etiam sub alterius Principis territorio, aut 7. Ciuitatis liberae districtu *Ioach. Stepha. tract. de Synod. c. 5. nu. 22.* ab illius sententijs in causis ciuilibus, vbi praesertim consuetudine antiquissima praescripta est Iurisdictio, appellandum est gradatim ad Iudices Ecclesiasticos superiores *d. c. Romana, Capijcius decis. Neapol. 137. nu. 12.*

Et hoc disertè cautum est in Adolpho Episcopo Leodiensi anno 1333. Augusti penultima, ad quem subditi Ducis Brabantiae 8. sub Dioecesi Leodiensi existentes appellare omninò deberēt, vti videre est ex sententia arbitrali Philippi Regis Franciae, in quem idem Episcopus Leodiensis super difficultatibus exortis inter ipsum & Ioannem Ducem Brabantiae & Lymburgi compromiserat, verba laudi sic se habent in articulo nono: 9. *Item que ledict Duc ost tous empeschements, & par effect si aucuns on a mis par luy ou par autruy à ce que ses sujets, si auant que la Diocese de Liege s'extend, pourront appeller & estre rappellez au pais de Liege, sans nul contredict de ceux de Braibant ou autres: & pourra ledit Euesque faire faire les executions endit pais paisiblement, si auant & en telle maniere que les hommes & Iugeurs de ladite paix sçauent & iugent, & ont gardé*

 & iugé

& iugé anciennement. Et rursum articulo XV. *Item que ledit Euesque, Official, & Archidiacres de Liege vseront & ioüiront paisiblement & plainement doresnauant de toutes leurs Iurisdictions, Iustices & droitures spirituelles, qu'ils ont & auoir doiuent en Brabant, & en terres dudit Duc, si auant & tout ainsi que ils & leurs predecesseurs en ont ioüy & vze de droiti ou coustume le temps passe.*

Per quæ apparet Episcopum Leodiensem à pluribus seculis habuisse & habere Iurisdictionem nedum in suos subditos in ipsorum caussis ciuilibus, sed & in subditos alterius territorij in caussis etiam merè profanis, quod quidem est iuri communi conforme. Certum enim est appellationes gradatim ad Iudices eiusdem gradus fieri debere. Non potest auté dici gradatim appellari, si interponatur ad alium qui non habet cum eo gradum à quo appellatum est, qualis est Iudex secularis, *Anchor. in cap. Romana nu. 6. vers. quæro in quibusdam de appell. in* 6. quia isti non sunt subalterni Iudices, sed sub diuersis Imperijs & potestatibus constituti *cap. duo sunt 96. dist. Scaccias de Appell. cap. 8. nu. 100:* confunditurque ordo, si ab vna potestate ad aliam per saltum appelletur *cap. anteriorum 2. q. 6. specul. de appell. c. 4.* Vnde videmus ab Episcopis nedum de iure communi *d. c. Romana* sed etiam de notoria consuetudine per totam Germaniam appellari ad Metropolitanos, vel Papam, aut eius Nuncium, idque etiam in caussis merè ciuilibus & inter personas profanas. Sic ab Officiali Monasterien. Paderbornen. Leodien. ad Officialē Metropolitanum Coloniensem, & ab alijs Sedis Moguntinæ & Treuirensis Suffraganeis ad Archiepiscopos Moguntinum, & Treuirensem appellatio interponitur, vt rectè notauit Hieron. Saracenus *in sua assert. Iurisd. Ecclesiast. c. 3. nu. 20.* licet alias ijdem Episcopi alios Officiatos seculares habeant, à quorum sententijs in caussis tantum ciuilibus Camera & non Metropolitanus aut Papa appellatur, vt apud nos à Scabinis Leodiensibus qui sunt Iudices ab Episcopo tanquam Principe deputati Concilium ordinarium, & demum

10. (beside "dem gradus fieri debere")
11. (beside "pelletur")

mum Camera Spirensis.

Quamquam autem in Gallia receptum sit, vt prouocari possit 12.
ab Ecclesiasticis. ad Curias supremas Parlamentorum tanquam ab abusu, hoc tamen verum est quando derogant vel Constitutionibus Regijs, & aduersus laicorum priuilegia quidquam statuunt, *Greg. Tholos. lib. 5. parat. iuris can. tit. 17. cap. 23. Couar. pract. quæst. cap. 4. Specul. tit de appellat. nu. 4. vers. nunc tractemus* vel quando Episcopus tenet Iurisdictionem suam tanquam persona laica, *Modernus Parisiensis ad Consuet. Parisien. tit. 1. §. 42. nu. 7.*

At in Imperio aliud est; quia vbi Iudex Ecclesiasticus non re- 13.
cognoscit Iurisdictionem in feudũ à laico, sed habet illam pleno iure, vtpote consuetudine vel à Pontifice *Glo. in l. & quia verb. nec ipsa ff. de iuris om. iud.* vt passim in Germania, maximè inter Principes Electores Ecclesiasticos, vt diximus, tunc appellandum est gradatim ad superiorem Ecclesiasticum, *textus in d. cap. Romana §. debet de appellat. in 6. Capij Decis. 123 nu. Scaccias tract. de appell. quæst. 8. art. 3 nu. 90. Wames. Cons. 174. nu. 11. & cons. 67. de Iudic.* Cum autem Officialis Leodiensis Iurisdictionem temporalem quam exercet accipiat ab Episcopo Principe Leodiensi, non quà 14.
Princeps est, sed quà Episcopus qui illam accipit à Pontifice *c. cum Episcopus 7. de Offic. ord. in 6. Adria. Gilmanni in Symphorem. supplicationũ pro processibus in Camera Imper. impetran. tom. 4. part. 1. Votor nu. 25.* vbi scribit quod omnia bona Episcopi Leodiensis 15.
habeãt priuilegia Ecclesiastica, & sint exẽpta & libera ab omnibus Iurisdictionibus & superioritatibus ordinarijs sintq; immediate sub Pontifice Romano, quod & postea latius ostendetur (nã Iurisdictionẽ illam temporalẽ quam in feudũ ab imperatore, Princeps habere prætenditur, exercet tanquam Princeps per suos Scabinos, à quorum Sententijs appellatur ad Concilium Ordinarium, & inde Cameram in caussis taxam excedentibus) is habet in iure 16.
fundatam intentionem, etiam vigore antiquissimæ consuetudi-

nis Iurisdictionem hanc ipsi delegandi, atque ita consequitur eundem Officialem in qualitate Officialis Episcopi, & non Principis Iurisdictionem in caussis ciuilibus tam inter clericos, quam merè Laicos exercere: cum Episcopus illam habeat vt dictum est vel à Pontifice (cuius iura ciuilibus siue Cæsareis potiora sunt apud nos, quod non esset si à Cæsare Iurisdictionem acciperet) vel proprio iure, longissima scilicet cōsuetudine & pręscriptione etiam priuatiuè acquisitam, quemadmodum infra proprio capite ostendemus.

Hinc, fit vt Officialis Leodiensis sit ab omni memoria Ecclesiasticus Iudex, & è gremio Illustris Capituli Leodiensis desumptus, qui ius eodem quo cæteri Canonici habitu Ecclesiastico dicit in dictis caussis, idque per censuras etiā Ecclesiasticas, quod ei haud dubiè non liceret si ab Imperatore haberet Iurisdictionem *Bald. in l. si quis litigat C. de Episcop. aud. Ias. in l. 2. col. 3. d. tit. de Jurisd. om iud.* Et Officialis Leodiensis tanquam talis Ecclesiasticus Iudex, intra ipsa immunitatis Ecclesiæ Episcopalis septa pro tribunali sedèt, eiusque Dicasterium seu Curia ab antiquissimis quoque temporibus fuit & est appellata Curia Spiritualis, quæ ab amplitudine & virorum Doctorum celebritate facilè hactenus superauit, (si à Romana discedas) alias orbis Christiani Curias, pragmaticique illius, Socij Curiæ Spiritualis nuncupantur, vt qui ijsdem legibus & statutis teneantur, quique in ea qualitate gaudent eodē priuilegio fori, quo solēt ij qui sunt raso vertice: quo quidem priuilegio nō fruerētur si essent Curiæ sæculari cōscripti.

17\.

18\. Statuta etiā Consistorialia istius Curiæ Spiritualis condit Episcopus absque ordinum suorū assensu: Secularia autem non item, vnde distincta sunt planè ab inuicem & stylo. & re, ac modo procedendi; distincti etiam procuratores vnius, & alterius tribunalis.

19\. Porrò, quod de Iurisdictione Officialis Episcopi Principis Leodiensis dictum est, idem quoque iuris statuendum, de Officialibus Principum Electorum Ecclesiasticorum Germaniæ. Illi enim

enim pariter cognitionem habent, licet non tam amplam, caussarum ciuilium inter personas profanas, exceptis feudalibus: & Consistorium Officialis Archiepiscopi Coloniensis, non Electorale, sed Archiepiscopale dicitur, vti Moguntiæ Iudices S. Sedis Moguntinæ nuncupantur, & à sententijs istorum Officialium non licet appellare ad tribunalia secularia, teste Mathia Stephani Pomerano. *lib.3. de Jurisd. part.1.c.1. nu. 32.* his verbis: Quin & in „ quibusdam Dominijs Consistoria Ecclesiastica constituta esse vi- „ demus, vt non liceat à sententijs Ecclesiasticorũ Consistorialium „ ad Iudiciũ Prouinciale seculare appellare, sed quod vel Iudices illi „ Ecclesiastici instantiæ primæ habeant iudiciũ cum arresto, vel si „ appellationes admittuntur, eæ deferantur non ad iudiciũ Prouin- „ ciale seculare, sed ad superius eo fine institutum Consistorium „ Ecclesiasticum, vti seruatur etiam in ipso Electoratu Saxoniæ. „

Nihilominus sunt alia Iudicia secularia Principum Electorum, vt notat Hierony. Sarrac. in sua assertione Ecclesiast. Iurisdic. 20. quæ vocantur Iudicia Electoralia & ab Archiepiscopis Principibus Electoribus habentur titulo feudali ab Imperatore, & nominatim sub regalibus cõprehenduntur, ab alijsque appellatur gradatim ad superiora tribunalia secularia, & ad Principes ipsos Electores, seu Commissarios constitutos, & tandem ad Cameram Imp. quia separata sunt ab Archiepiscopali dignitate, & propriè ad secularem, & Electoralem Iurisdictionem pertinent.

Cæterùm, maximi refert, interestque plurimum cõscientiæ & 21. auctoritatis, Principũ Ecclesiasticorũ, vt præ me notauit Ioannes Pelsius *de Jurisd. Episc. Germaniæ c. 21.* Curias suas Spirituales tueri ad defendere, impedireq; promiscuũ recursum ad Cameram Imperialẽ. Mouemur: tum quod Episcopi obligati sunt ad id in vim iuramenti, tum quia bona orphanorũ & pupillorum (quorũ Episcopus est tutor & protector) vitrici & nouercę, & his deficiẽtibus, tutores & Curatores neglectui potius haberẽt, quã vt illorum patrociniũ magnis & forsan proprijs impẽsis in Camera susciperẽt, tũ quia

quia Ecclesiasticorum quoque res ad restim redirent, si in eadem Camera lites seculares sustinere deberent, prçterquam quod Episcopi notabile sustinerent damnum, cum Officiales sui sic potè minueretur Iurisdictio, vt in secunda Instantia deuoluerentur caussæ ad Cameram, nec amplius rediretur ad Iudices in partibus Apostolicos. Nam sine Incolarum ad Ciuitatem vndique affluentium copia, minus fulgeret Episcopi Principis decus, potentia, & suprema auctoritas; minuerentur enim vectigalia, in quibus esse Reipub. neruos nemini dubiũ est, minuerentur iura sententiariæ Episcopo debita, minuerentur omnino rerum commercia; inania redderentur diuersoria, mercatorum tabernæ aduenis nudarentur, opifices generis omnis ad incitas redigerentur, prudentia iuris per quam alioqui licitum ab illicito secernitur, & suum cuique tribuitur, vilesceret, periretque. Ac licet pretio quandoque nummario cœlo delapsam artem (leges quippè à Dijs immortalibus primum propagatas, Lycurgum enim ab Appolline, Solonem Atheniensem à Pallade edoctos fabulosa vetustas autumat) Legutulei nonnulli dehonestent, non idcircò tamen est damnanda (quid enim sub Sole mutationi non est obnoxium?) sed auertuncandi sunt & tollendi ab ista Curia, alijsque tribunalibus qui longo annorum curriculo irrepserant abusus, pristinoque nitori restituenda scientia, perquã mundus ipse regitur & illuminatur. Taceo quod nisi Episcopi antecessores huius Diœcesis è re potentiæ & auctoritatis suæ florere Curiam Officialis sui non putassent, haud dubiè tantam non adhibuissent à ducentis iam annis diligentiam, vt illam sarctam tectamque conseruarent, vti videmus in Adolpho de Marcha Episcopo, qui omnem lapidem mouit, vt longè diffusam suam Iurisdictionem integram conseruaret, vti patet per statuta eius synodalia, quibus inter alia numerus Notariorum reductus est ad quinquagenta, cum iam rebus Ecclesiæ Leodiensis accisis vix ad eum numerum ascendat. sed hæc obiter.

CAP

CHAP. XIII.

Ostenditur Officialem Leodien. Iudicem esse Ecclesiasticum, qui ab omni æuo ius dixit in caussis profanis inter personas profanas.

SVMMARIVM.

1. *Petri Aloysij Carafæ Nuncij Apostolici verum encomium.*
2. *Officialis Leodiensis seruat Constitutionem Pij IV. qua statuitur causas in prima Instantia esse tractandas coram ordinarijs Iudicibus.*
3. *Clerici abstinere debent à secularibus negocijs & officijs.*
4. *Clerici non possunt delegari Judices ad vniuersitatem caussarum quæ sunt fori secularis.*
5. *Possunt tamen ipsis delegari caussa vna, & altera.*
6. *Et talis caussa deuoluitur per appellationem ad Curiam Principis secularis.*
7. *Officialis Leodien. est constitutus Iudex ad vniuersitatem caussarum.*
8. *Et iudicat inter profanos per inueteratum vsum & longam consuetudinem legitimè præscriptam.*
9. *Idem procedit contra Laicos etiam per censuras.*
10. *Idque tanquam delegatus ab Episcopo, non Principe.*
11. *Camera permittit appellationes ab Officiali Leodiensi ad Metropolitanum.*

Non possum hoc loco ingrato inuoluere silentio alia item argumenta quibus vtitur Illustriss. & Reuerendiss. Dom. 1
Petrus Aloysius Carafa modernus Nuncius Apostolicus cum potestate Legati lateralis, omni virtutũ & scientiarum encyclopædia cumulatissimus Princeps & insignis Ecclesiasticæ Iurisdi-

ctionis vindex & protector, vt ostendat Officialem Leodiensem quem nunc laudabiliter agit Guilielmus ab Elderen Canonicus Ecclesiæ Cathedralis vir sanequam zelosus & integer, ius dicere in caussis profanis inter Laicos non vti delegatum Principis secularis, sed Episcopi, qui in hac ipsa qualitate habet Iurisdictionem istam independentem ab Imperatore, sed potius proprio iure, vt pote acquisitam consuetudine, vel alio iure, vt præcedenti capite ostendimus.

Nam imprimis, cõstat Curiam Officialis, vt ipse inquit, seruare
a. dispositionem constitutionis, Sanctæ mem. Pij. IV. *quæ incipit Pro salubri &c.* quæ habetur inter statuta eiusdem Curiæ, in qua disponitur ne caussæ primarum instantiarũ alibi quam coram ordinarijs Iudicibus tractentur, & ne appellationes ab Interlocutorijs simplicibus à Iudicibus superioribus admittantur. Et hæc Piana in dicta Curia Officialis locum habet in omni caussa, siue Spirituali, siue prophana, siue agatur inter Ecclesiasticos, siue inter seculares, vt cuique notorium est.

Ex hoc necessario sequitur, Iurisdictionem dicti Officialis in profanis non posse referri ad Imperatorem, nec habere dependentiam vllam ab ipso.

Nam si hoc esset, supervacaneum erat adire summum Pontificem vt modus friuolis appellationibus imponeretur & superioribus Iudicibus inhiberetur ne similes appellationes admitterent.

Satis enim superq́ue huic incommodo erat Leodij prouisum per constitutiones Imperatorum, quæ in tribunalibus Iudicum Laicorum strictè obseruantur.

Ergò, cum constitutio Pontificia seruetur in Curia Officialis, & illius vsus sit continuus & perpetuus, etiam quando Officialis cognoscit de causis merè profanis, & inter personas merè seculares, sequitur necessariò eius Iurisdictionem esse independen-
b. tem ab Imperatore, alias solæ caussæ Spirituales subijcerentur dispositioni dictæ Bullæ, & profanæ ab ea dicerentur exemptæ, quod

quod tamen dici non debet: cum vsus, vt dixi, sit in contrarium.

Secunda ratio est, quia Episcopi Leodienses & signanter antè octuaginta annos P. M. Georgius ab Austria volens eandem Curiam Officialis reformare, tam quoad processus qui fierent in caussis spiritualibus, quam quoad illos qui inter Laicos in caussis profanis, supplicarunt summo Pontifici, vt Reformationes ac statuta eiusdem Curiæ confirmaret, & laudaret. Quod factum videmus à S. M. Iulio PP. Tertio, per Breue speciale quod est insertum in Reformationibus eiusdem Georgij ab Austria, & per aliud Breue eiusdem Iulij, quo Conseruatores deputantur pro earundem Reformationum executione. Ergò, si Iurisdictio officialis in profanis penderet ab Imperatore, ab ipso, non autem à summo Pontifice peti debuisset confirmatio decretorum ad Reformationem Curiæ in caussis profanis pertinentium, satisque fuisset Episcopis Leodiensibus supplicare summo Pontifici, vt tales Reformationes quoad Spiritualia duntaxat confirmaret.

Et porrigenda fuisset similis supplicatio Imperatori pro obtinenda confirmatione aliarum Reformationum concernentium processus in causis profanis inter Laicos.

Quod cum factum non fuerit, & verisimiliter fieri debuisset, licet desumere fortissimum argumentum, quod Iurisdictio Officialis nullà ratione pendeat ab Imperatore seu Imperatori accepta referri debeat.

Tertia est ratio, quia Episcopus Leodiensis Iurisdictionem temporalem, quam titulo Regalium recipit ab Imperatore, exercet per Iudices seculares, veluti per Scabinos in prima instantia, per Consiliarios Consilij ordinarij in secunda, quibus postmodum in tertia instantia causæ deuoluuntur ad Cameram Imperialem. Ergò sequitur quod Iurisdictio quam pariter exerceri voluit per Officialem, illa eadem sit, quæ sibi competit vt Episcopo ac Prælato Ecclesiastico, alias sequeretur Iurisdictionum confusio maxima.

Quod eò magis consideratione dignum est, quia Iurisdictio quam Prælatus Ecclesiasticus vel iure Regalium, vel titulo feudi, vel alio modo recepit ab Imperatore, vel Principe seculari,
3. non potest per Clericos exerceri *cap. Clerici, de vita & honestate Clericorum. è Clerici: ne Clerici vel Monachi §. final. Ann. allegat. 460.*

Quarta ratio, quia certi iuris est quod Clerici non possunt delegari Iudices ad vniuersitatem causarum quæ sunt fori secularis,
4. seu constitui locum tenentes Principum Laicorum eorumque Vicarij *c. Clericis ibi Abb. ne Cleric. vel Monachi, Cagnol. in Rub. tit. de off. eius cui mand. est Jurisd. n. 43. & 45. & ibi Ripa nu. 2.*
5. *Wulpel. de libert. Eccles. 1. p. n. 1.* licet alias possit ipsis delegari causa vna vel altera eiusdem fori secularis, *Purpur. in l. Cum qui n. 4. de Iurisd. om. Iudic. Vant. de nullit. ex defectu nu. 68. Alex. Cons.*
6. *7. nu. 6. lib. 2.* & si in ea contingat ab eorum sententijs appellari, Appellatio deuoluetur ad Curiam Principis secularis *Bart. in l. si quando C. de appellat.*

Ergò, cum Officialis Leodiensis sit Clericus, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, & nihilominus sit constitutus Iudex ad vniuersitatem caussarum, & dicatur locum tenens seu Vicarius Generalis Episcopi in Iurisdictionibus totius patriæ Leodiensis, &
7. non possit talis esse in qualitate Constituti à Principe Laico, obstante Iurium dispositione, de qua supra, sequitur necessariò eum talem esse Iure suo proprio, acquisito per longum vsum & Immemorabilem consuetudinem legitimè præscriptam. Vnde falsum est quod nonnulli adstruunt Officialem vti Principem repræsentantem ab Imperio, & non iure suo secularem Iurisdictionem exercere.

Nihil enim repugnat, vt Iudex Ecclesiasticus per inueteratum
8. vsum & longam consuetudinem acquirat sibi Ius etiam de profanis causis inter laicos cognoscendis.

Quinta est ratio, Quia idem Officialis etiam quando Ius dicit
9. inter laicos in causis profanis, procedit per cęsuras Ecclesiasticas,

quibus

quibus aduersus contumaces & sibi non parentes tuetur Iurisdictionem suam, prout cuique certissimum est.

Ergò sequitur eundum Officialem non procedere in profanis tanquam constitutũ aut delegatum à Principe seculari; quia in ea qualitate non posset procedere per censuras. *Can. benè quidem maximus vbi glos. 96. d. Can. subdiaconos §. alia verò 24. q. 1.*

Cum enim delegatus nihil proprium habeat, sed pendeat penitus à delegante & constituente, *l. 1. §. qui mandatum de officio eius.* Delegans verò vel constituens cuius Iurisdictio attenditur *Baldus in l. si quis in vlt. not. C. de Episcopali Aud. Jas. in l. 2. vers. 3. limita de Iurisd. omn. Iudic. Purpurat. in Rub. de off. eius cui mand.* omninò careat censuris, quæ sunt propriæ Iudicum & Principum Ecclesiasticorum, Iurisdictio Officialis quæ adiunctum habet ius fulminandi censuras, debet inspecta suà origine censeri plane Ecclesiastica, & omnimodo à Principe Ecclesiastico dependens. 10.

Sexta & postrema ratio est eademque vrgentissima, quia si quandoque à sententiâ Officialis Leodiensis Appellari contingat ad Metropolit. hoc est ad Archiepiscopum Coloniensem, seu illius Officialem, Camera Imperialis laudauit per omne tempus prout & quotidie laudat huiusmodi appellationes, tanquam ad Iudicem competentem interpositas. 11.

Ergò sequitur Officialem Leodiensem iudicasse & Iudicare vti delegatum Episcopi Leodiensis in sua Curia spirituali, non autem in alia vlla qualitate, nec vllo habito respectu ad Principem secularem.

Consequentia est certa, quia Metropolitanus qui tales Appellationes recipit, nullum habet ius temporalitatis in Episcopum Leodiensem, eiusque Iudices, sed illud habet duntaxat quod habent cæteri Metropolitani in suos Suffraganeos, quod est merè Spirituale & Ecclesiasticum.

Et per consequens, quâ ratione approbat Camera temporalis

tales appellationes ad Archiepiscopum Coloniensem, eadem debet approbare & laudare illas quæ ab eodem Officiali Leodiensi interponuntur ad Sedem Apostolicam: quia vtrobique eadem ratio est, nempè qualitas Iurisdictionis Iudicis à quo, qui in qualitate Iudicis Ecclesiastici, per longum vsum, & immemorabilem consuetudinem acquisiuit sibi Ius cognoscendi etiam caussas profanas inter laicos, de quibus in gradu Apppellationis æque benè cognoscere possent delegati à Sede Apostolicâ, ac ipse Officialis Metropolitani. Hactenus argumenta Ill.mi & R.mi D. Nuncij Apostolici.

CAP. XIV.

Rursum ostenditur appellationes à sententijs Iudicum Ecclesiasticorum ad Cameram Spirensem de iure non subsistere.

SVMMARIVM.

1. *Camera Spirensis an sit Judex Appellationum à Iudicibus Ecclesiasticis interpositarum?*
2. *Appellandum gradatim à Iudicibus Ecclesiasticis ad Superiores.*
3. *Iurisdictio vnicuique seruanda.*
4. *Ab Officiali Leodiensi appellandum ad superiores Iudices Ecclesiasticos.*
5. *Ab Episcopo habente Regalia appellatur ad Papam non ad Principem, nisi aliud priuilegio vel consuetudine sit inductum.*
6. *Episcopus Leodiensis obtinet Principatum suum non in feudum Rectum, sed Francum & liberum.*
7. *Francum feudum, quod?*
8. *Quando Principatus est liberè incorporatus patrimonio Ecclesiæ, tunc est appellandum ad forum Ecclesiasticum.*
9. *Bona donata sequuntur naturam eius cui donantur.*
10. *Bona donata locis religiosis fiunt religiosa.*

D. E

11. *Et in caussis bonorum istorum appellandum est gradatim ad superiores Ecclesiasticos.*
12. *Caussa semel facta Ecclesiastica, manet Ecclesiastica.*
13. *Secularis manum apponere non potest caussæ, cui se Iudex Ecclesiasticus immiscuit nisi ageretur de lege feudi.*
14. *Si actionis fundamentum non dependet à lege feudi, Dominus feudi non est Iudex inter Vasallos, nisi aliud cõsuetudine sit receptum.*
15. *Episcopus Leodiensis habet tribunal caussarum feudalium.*
16. *Vbi præuentum est iudicium in caussa feudi, ibi finiri debet.*

CAmeram hic accipimus pro ipsis Officialibus qui habent administrationem Cameræ, *Restaurus Castal. tract. de Imperatore q. 114. nu. 8. And. Gail. lib. 1. obser. c. 1. nu. 7.* Quod autem Camera non sit Iudex in caussis appellationum à Iudicibus Ecclesiasticis interpositarum præter rationes suprascriptas clarè quoque probatur per cap. Romana §. *debet de appell. in 6.* vbi Innocentius IV. respondet quod ab Episcopis super caussis in quibus Iurisdictionem temporalem exercent, debeat ad Achiepiscopum immediatè superiorem appellari, nisi fortè de consuetudine, inquit textus, aut priuilegio, siue iure alio speciali ad alium sit appellandum. Ratio autem hæc est, quod in Iudicibus Ecclesiasticis seruandus sit ordo gradatim, quia vniuersitas Ecclesiastica, vt scribit Scaccias *tract. de appell. q. 8. art. 3.* ex vario dignitatum gradu decoratur, ad instar Ecclesiæ triumphantis, *cap. vlt. ad hoc, dist. 59.* & nisi sua cuique Iurisdictio seruetur, Ecclesiasticus ordo, neruusque Ecclesiasticæ disciplinæ confunditur, *cap. 39. peruenit in fi. 11. q. 1.* Quæ quidem Innocentij IV. dispositio in c. d. Romana multò magis locum obtinere debet in Officiali Leodiensi, Iudice Ecclesiastico, qui habet non modò Ecclesiasticam, sed etiam temporalem ab Episcopo Principe Iurisdictionem, non quà Principe, sed Episcopo, qui illam accepit cum ex iure communi, tum Cæsarum priuilegio, præsertim Ottonis scilicet II. & III. vt infra

Margin numbers: 1 (beside "tore q. 114"), 2 (beside "ne, inquit textus"), 3 (beside "dist. 59"), 4 (beside "ce Ecclesiastico").

infra ostendemus. *Specul. de appell.* §. *nunc videamus vers. Illud autem, Guido de appellat. q. 34. nu. 32.*

Neque referre potest quod is habeat bona à Principibus Laicis, & Regalia ab ipso Imperatore, quia eo nonobstante, appellatur ad superiorem Ecclesiasticum, & non ad eum à quo habet temporalia, inquit, Speculator *tit. de appellat.* §. *Nunc tractemus in fin. nu. 11. Scaccias dicta quæst. 8. nu. 90. Anton. Capicius decis. Neapol. 137. nu. 12. & 13.* his verbis: quod debeat recognoscere
» S. Pontificem, facit; Nam in caussis appellationum temporali-
» bus ventilatis in Curia Episcopali, non appellatur ad Dominum,
» temporalem, sed Archiepiscopum, nisi ex consuetudine præ-
» scripta, priuilegio, aut alio speciali iure, aliud sit, *d. cap. Romana*
» §. *debet de appell. lib. 6.* Et Glossa *in c. 2. de delict. puer.* ponit de
» Episcopo habente Regalia à Principe, quod in illis Regalibus
5. » appelletur ad D. Papam, non ad Principem, nisi consuetudo, vel
» priuilegium aliud induceret, *& ibi Abb. in fi.* dicit quod quando
» Iudex Ecclesiasticus, habet Iurisdictionem temporalem, non tamen
» men in feudum, appellabitur ad superiorem Ecclesiasticum: si
» autem habet in feudum appellabitur ad Dominum feudi, licet sit
» secularis. Hactenus Capicius,

Cuius doctrina retorqueri non debet in Officialem Leodiensem, quasi Episcopus Leodiensis à quo ille demandatã sibi habet
6. Iurisdictionem, pleraque feuda Principatus sui obtineat ab Imperatore in feudum: quoniam Episcopus Princeps Leodiensis Principatum suum obtinet ab Imperatore non in feudum rectum, vt postea ostendemus, alias enim appellaretur ad Dominum feudi, vt scribit Capicius, *per not. Bart. in l. si quando* (*de appell. Scaccias d. tract. de appell. quæst. 8. art. 3. nu. 92.* sed in feudum francum & liberum, seu Regale, vt infra dicemus cap. 17.

Bona enim Ecclesiæ data, purè & simpliciter data præsumun-
7. tur *Wames. tom. 1. Consil. 174. nu. 7. de appellatio.*

Appellamus autem feudum francum, quando iuramentum fidelita-

fidelitatis non præstatur, nec ad aliquod seruitium obligat, *Capol. Cons. 22. col. pen. Decius Cons. 139. Mohed. decis. 281. de feudis, Card. Mantica tract. de Tacit. & ambig. conuent. tit. 16. nu. 4.* etiamsi Principatus iste penderet aliquid pro subsidio belli Turcici, vt dicemus cap. XVII. nu 9.

Quando autem dignitas aut Principatus est liberè incorporatus, vt est Leodiensis, patrimonio Ecclesiæ, tunc appellandum est ad forum Ecclesiasticum *Greg. Tholos. tract. de appellat. lib. 4. cap. nu. 5. 1.* Nam bona donata sequuntur naturam & conditionem eius cui donatur *l. 1. infi. C. de Imp. Lucr. describ. lib.* 10. &c. 8.
ideo bona donata locis religiosis fiunt religiosa, *l. quæ religiosis ff. de Rei vend. Oldr. Cons. 83. nu. 3. & 4. Hostien. in cap. nimis de Iureiur. DD. in c. dilectè de donatio.* 9. 10.

Hinc fit vt bona liberè donata Ecclesiæ etiam inferiori, sequi debeant illius conditionem, vt sint nimirum exempta à superioritate donantis *c. 1. de Immu. Eccles. Farin. Cons. crim. lib. 3. Consil. 196. fol. 115.* & in tali euentu, oportet appellare gradatim ab Episcopo ad superiores Ecclesiasticos, *d. §. debet.* 11.

Nam quemadmodum non licet coram Iudice seculari omisso medio appellare superiorem, adeò vt Domini temporales possint aduersus sic appellantes edicta pœnalia statuere, *Wames. consil. 67. de Iudic. Scaccias tract. de appellat. quæst. 7. nu. 1. & 33,* ita etiam, & multò magis Episcopi, præsertim quando in foro Ecclesiastico actum esset in prima instantia. *Io. Gallus decis. Parlam. Paris. 258.* Caussa enim semel facta Ecclesiastica manet Ecclesiastica, & per appellationem ad immediatè superiorem Ecclesiasticum deferenda, non etiam ad aliquem secularem, qui quamuis 12.
maximus sit, quocumque Iudice Ecclesiastico inferior censetur, *c. vt nostrum de appell. c. statutum de rescriptis in 6.* & caussa cui se Ecclesiasticus se immiscuit, manum apponere non potest, *Wamesius* 13.
d. Consil. 67. nu. 8. de Iudicijs. nisi tamen ageretur de lege feudi, *Alex. Cons. 79. nu. 3. lib. 1.*

14. Et ideò, si actionis fundamentum non dependet à lege feudi, Dominus directus feudi non est Iudex inter vasallos, nisi aliud consuetudine receptum sit, *Erasmus à Chokier Frater meus tract. de exemptionibus part. 2, quæst. 124. nu. 8. pag. 360.* vti apud Leo-
15. dienses, vbi Episcopus quà Princeps est, habet Imperium & tribunal causarum feudalium, tametsi iure communi Iudex Ecclesiasticus sit competens Iudex quæstionis, quæ de lege feudi Franci vel Liberi oritur, ab eoque per appellationem ad superiorem Ecclesiasticum gradatim deuolui possit, vt nonnulli sentiunt, inter quos Aret, *Conf.* 14. Pet. Gret. *de feud. part. 5. quæst. 6.* Berons *Conf. 82. nu. 13.* quando præsertim Iurisdictio temporalis est totaliter trãslata in Ecclesiã, ita quod pro illa nõ recognoscat superiorem temporalem, nisi in caussis quæ coram Iudice
16. laico inferiori præintentatæ sunt, tum enim gradatim ad Principem, Cæsarem, vel alium per appellationem deuoluuntur, *l. Imperatores d. tit. Wames. de appell. c. Dilecti nu.* 1. hoc cessante, ad superiorem Ecclesiasticum prouocandum est, possetque Officialis Ecclesiasticus contra appellantes à suis sententijs declarare in excommunicationem Pontifici reseruatam incidisse, *Barth. Vgolinus, tract. de Censuris Pontifici reseruatis part. 2. vers. ac etiam. nu. 1. & seqq. fol. 399. Iacobus de Graffijs lib. 4. decis. casuum conscientiæ in expositione cœnæ Domini nu.* 119.

CAP. XV.

Principatu incorporato Ecclesiæ, appellandum ad Superiorem Ecclesiasticum.

SVMMARIVM:

1. *QVando Principatus est incorporatus Ecclesiæ, tum appellandum est ad Iudices Ecclesiasticos.*

2. Limi-

2. *Limitatur, nisi Principatum concedens Superioritatem sibi reseruasset.*
3. *Dispositio cap. Romana, non obseruatur in regno Castellæ, & Hispaniæ, nec in regno Galliæ.*
4. *Iurisdictio Maioria apud Hispanos.*
5. *Omnes Iurisdictiones in Gallia sunt infeudatæ.*
6. *Ab Episcopo tenente feudum appellatur ad Dominum directum.*
7. *Tunc enim Episcopus iudicat vt laicus.*
8. *Consuetudo quæ est contra ius, non est extendenda.*
9. *Imperator in concessione Regaliorum Episcopo Leodien. plenariam concessit Iurisdictionem.*
10. *Sacrilegi sunt qui contra S. Canones aliqua moliuntur.*

PОrrò, quod superiori capite diximus, quando Principatus est 1.
Ecclesiæ incorporatus, appellandum esse Iudices Ecclesiasticos, limitationem inprimis accipit, nisi Principatum concedens 2.
superioritatem sibi reseruaret, *Aufer. de potest. secul. sup. Eccles. Reg. 2. nu 3.* Limita. 2. id non obseruari in regno Castellæ & Hispaniæ *teste Couar. pract. quæst. cap. 4.* Nam ibi ab Episcopis ciuilem 3.
& secularem, siue temporalem Iurisdictionem exercentibus ad Regem appellatur: quia Rex quando transtulit in Episcopos Iurisdictionem temporalem, censetur sibi reseruasse, saltem tacitè, supremam Iurisdictionem, quam illi *Maioriam* vocant, quæ 4.
in eo consistit, vt ad Regem appelletur in ciuilibus caussis ab Inferioribus Iudicibus, *Aluar. Valasc. quæst. 8. nu. 28. de Iure emphiyt,* & alij per Couaruuiam relati.

Sed nec in regno Galliæ obseruatur: quia dicta constitutio ibi non est recepta, teste Mansuer. *in praxi tit. de appell. Greg. Tolosan. tract. de appell. lib. 4. c. 4. nu. 3.* Nec mirum: cum omnes ferè Iurisdictiones constet ibi esse infeudatas. Nam ab Episcopo tenente feudum appellatur ad Dominum directum à quo feu-

6. dum tenet, & non ad Metropolitanum, nec ad Papam eiusvè Nuncios, *Bart. in l. si quando nu. 2. C. de appell. l. 1. §. si quis nu. 14. ff. eod. Abbat. in Rubr. de appell. nu. 13. vers. sed quatenus, Geminia. & Francus in d. §. debet, frecq. tract. de subfeudis lib. 1. nu. 11. vers. alia est.*

Et ratio est, quia Ecclesiastici tunc iudicant, tamquam laici
7. Principes, Comites, &c. *Scaccias de appell. quæst. 8. art: 3 nu. 92. vers. Ratio huius restrictionis est. Gail lib. 1. obseruat. Cam. obser. 30. nu. 6:*

Hinc Ioannes Gallus, antiquus Galliæ scriptor, tradit in Regno Galliæ omnes Iurisdictiones esse infeudatas, *quæst. 276. col. 1.* vt mirum non sit si ab Episcopis infeudatam Iurisdictionem habentibus appelletur ad Regem vel Parlamentum: quia tunc iudicant vt Laici, *Scaccias de appellat. quæst. 8. nu. 92. vers. Ratio, Præses Euerardi loco à tanquam nu. 9. vers. sexto fallit.*

Vnde cum Iudex Laicus committit caussam Episcopo, ab huius sententia non appellatur ad S. Pontificem, sed ad ipsum Iudicem delegantem Laicum, cùm ciuile negotium sit, *text. in auth. si qui litigant ibi DD. de Episc. and.*

Cum ergò consuetudo illa Galliæ & Hispaniarum sit localis,
nec seruetur in illis locis dispositio dicti cap. *Romana*, non est
8. extendenda ad alia loca in quibus viget ius scriptum, vti apud Leodienses. Consuetudo enim quæ est contra ius, est stricti iuris, & strictissimè interpretanda est, nec extendenda de vno loco ad alium, *Gabriel Cons. 156. nu. 10. lib. 2. Iurd. Cons. 138. nu. 8. & decis. 131. nu. 8. Farin. lib. 3. Consil. Crimin. Cons. 198. nu. 43.*

Denique, quod in Hispania ab Ecclesiasticis appelletur ad Regem, ratio est, quia Rex superiorem Iurisdictionē sibi reseruauit, vt diximus ex *Couar. d. cap. 4. Card. Tuscho in conclus. incip. Donatio*
9. *facta per Constantinum, fol. 515.* qualem sibi non reseruauit Imperator in concessione Regalium Episcopo Principi Leodiensi, quinimò vnà cum Regalibus concessit & Iurisdictionem plenariam, vti ex diplomate regalium infra cap. XVII. videre licet.

Ex

Ex quibus fit vt quæ aduersus hanc sententiam per Mindanum *tract. vt process. Imperij. lib. 1. cap. XI. per tot. & And. Gail. lib. 1. pract. obser. d. cap. 30, in pr.* & Mathiam Stephani *lib. 3. part. 1. cap. 14. nu. 21. & seqq.* scribuntur, facilem accipiant resolutionem.

Nec vrget quod nonnulli obijciunt, Pontifices per sua iura *in d. c. Romana*, & alia, Imperatori & eius summo Tribunali officere non posse: quia respondeo cum Socino *in cap. licet ex suscepto nu. 15. vers. sed contra prædicta, de foro comp.* talia obijcientes non euadere pœnam sacrilegij: quoniam blasphamare Spiritum sanctum, (vt Damasus Papa inquit in cap. Violatores 25. q. 1.) non in- 10.
congruè videntur, qui contra sacros Canones aliquid proteruè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus spontè consentiunt. Hinc leges quæ ab Apostolis & Apostolorum successoribus statuuntur, non tam ab ipsis, quam primo omnium auctori Spiritui sancto accepto ferendas esse docet præclarè Illust. Card. Baronius *tom. 1. annal. anno Christi 5. p. 378.*

Quid, quod non tam sint nouæ Pontificum Constitutiones quam leges & Canones confirmantes priora Theodosij, Caroli Magni, aliorumque Cæsarum, quorum ante meminimus, edicta? quæ quidem Cõstitutiones & Canones passim sic approbati sunt, vt in omnibus Academijs & scholis, etiam Germaniæ prælegãtur: ideoque ex tacito Imperatorum consensu pro certis & indubitatis legibus habendi sunt *glo. in cap. de libellis & distinct. in fi. Azor. Instit. moral. lib. 5. cap. 19. tom. 1.*

CHAP. XVI.

An per concessionem Feudi censeatur concessa Iurisdictio.

SVMMARIVM.

1. *IVrisdictio quam Officialis Leod. exercet non est infeudata nec dependet ab Imperatore, sed à Pontifice.*

2. *Donationes ab Imperatore & Galliæ Principibus factæ Ecclesiæ Leodien fuêre puræ & fine vlla restrictione.*
3. *Donationes Principum nullo freno subijciuntur,*
4. *Imperatoria maiestate nihil dignius quam benè merentibus benè facere.*
5. *Donatio facta Ecclesiæ censetur facta propter Deum.*
6. *Donationes factæ Ecclesiæ Leodien. per Imperatores, habentur perinde atque si factæ fuissent Ecclesiæ Romanæ.*
7. *Imperator donare potest nullam sibi reseruando Iurisdictionem.*
8. *Concessio territorij includit etiam concessionem Iurisdictionis.*
9. *Episcopi temporalia Dominia habentes in Imperio, quomodo quo ad Iurisdictionem censeantur.*

QVæ hactenus dicta sunt, per concessionem feudi censeri reseruatam Iurisdictionẽ, & propterea ratione infeudalitatis ab Episcopis appellari ad Cameram, in Officiali Leo-
1. diensi locũ sibi vendicare non possunt, quia Iurisdictio quam ille exercet non est infeudata Episcopo Leodiensi, nec dependet ab Imperatore, sed à Romano Pontifice; cognoscitque vt Episcopus, non vt ciuilis Iudex. *cap. Romana* §. *debet de appellat.*

Nam donationes quæ factæ sunt ab Imperatoribus, Regibus
2. Galliæ, alijsque Principibus cum profanis, tum Ecclesiasticis fuêre puræ, & ex mera liberalitate: ideoque cum re donata Iurisdictionem concessisse censentur. *Bald. in l. cum multa* 1. *nu.* 4. *vers. ex his concludo C. de Bon. quæ liber.*

3. Donationes enim Principis supremi, freno non subijciuntur *Alber. de Rosat. l. fin. nu.* 11. *de Iurisd. om. iud. Oldrad. de ponte, cons.* 252. *nu.* 6. nihil enim Imperatoria Majestate dignius, quam benè merentibus benefacere: & ideò eius liberalitas limitibus
4. non est adstringenda, *l. pen C. de Donat. inter virum & vxorem Castren. Cons.* 63. *nu.* 3. *vers. Tertium patet, & cons.* 187. *nu.* 1. *vers. & quia ista.* Indè fit, vt donatio facta Ecclesiæ vel pio loco, censetur

censetur facta propter Deum, *Mascard. conclus. 555. Donatio facta Ecclesiæ.* eaque quæ Ecclesiæ Leodiensi ab illis facta est, haberi debet ad instar donationis factæ Ecclesiæ Romanæ; quia omnes Ecclesiæ sunt vna Ecclesia, & membra vniuersalis Ecclesiæ *l. pen. §. vna verò de sum. trin. Fely. in c. quæ in Ecclesiarum nu. 74. de Constit. cap. significasti de Electio. Lapus Alleg. 92. c. loquitur in fi. 21. (aut 24) quæst. 1. Card. Tuschus, Tract. Coclus. tom. 4. Conclus. 40. nu. 8.*

Imperatorem autem donare posse tam Ecclesiæ Romanæ, quam inferiori, nullam penitus reseruando sibi superioritatem communis Doctorum schola asserit, *Martinus Magerus, tract. de Aduocatia Romana, c. 16. nu. 7. p. 680.* Imò in Imperio, concessio territorij, includit etiam concessionem Iurisdictionis, & omnis superioritatis atque regaliorum, *And. Kinken tract. de sublimi & regio territorij iure, cap. 1. nu. 395.* ratione quorum licet Episcopi Ducatus, Comitatus, & alios Principatus sub Imperio obtinentes, Imperatori homagium præstent, non tamen inde desinunt metiri Iurisdictionem suam à S. Pontifice ad quem dispositio & prouisio Episcopatuum pertinet *Clem. 1. vt lite pend. c. 2. de Præben. in 6. c. Romana §. debet de appellat. in 6.* prætérquam quod homagium non arguit concludenter feudum *Menoch. lib. 3. præsump. 91. nu. 22.* 10.

CAP.

CAP. XVII.

An Principatus Leodien. sit Feudum Imperij? & quale: & an ex eo omnimoda Iurisdictio Inuictissimo semper Cæsari sit reseruata? ostenditur quod non: deque plenissima Iurisdictione Episcopi Principis Leodiensis.

SVMMARIVM.

1. *Erectio Episcopatus Leodiensis.*
2. *Episcopus habens feudum à Principe seculari, illum vti superiorem recognoscere debet.*
3. *Et ad illum deuoluuntur appellationes.*
4. *Ecclesia quæ suscepit à Domino temporali feuda, obstricta est legibus feudalibus Laicorum.*
5. *Principatus Leodien. habet sub se feuda cum exercitio Iurisdictionis, quorum solet Episcopus accipere Reliuium à Cæsare.*
6. *Tenor Regaliorum Guidoni Episcopo Leodien. à Cæsare concessorum.*
7. *Episcopus Leodien. exercet iura Imperij & omnimodum, Iurisdictionem in suo Principatu.*
8. *Episcopo Leodiensi præferuntur duo sceptra argentea, & quare.*
9. *Verba illa Reliuij* de liberalitate Regia *important liberam donationem.*
10. *Ciuitas dans aliquid in signum Superioritatis, non ideò minus libera existimanda est.*
11. *Feudum Principatus Leodiensis est potius Feudum dignitatis.*
12. *Feudum Regale quod?*
13. *Donatio facta ab Imperatore latissimè interpretanda est quoad eius præiudicium.*
14. *Ecclesia inhabilis est militiæ.*

15. *Lice*

15. *Licet reseruatio directi Dominij & superioritatis semper inesse censeatur in concessione feudali, tamen hoc non est de natura feudi.*
16. *Ex formula Inuestituræ* Adolphi *non potest inferri concessio Feudalis, sed potius donatio.*
17. *In dubio præsumitur potius donatio libera quam concessio feudalis.*
18. *Feuda & Iurisdictiones liberè donari possunt,*
Potestas verbi Inuestimus.
Concessione Regaliorum non tollitur Iurisdictio.
19. *Principatus Leodien. non est feudum Imperij.*
20. *Qualibet res præsumitur libera.*
21. *Feuda & Iurisdictiones liberè donari possunt.*
22. *Verba Reliuij* exigente Iustitia *important clausulam* propter benè merita. *quæ posita in concessione, non facit feudum.*
23. *Clausula* de liberalitate Regia *importat simplicem donationem.*
25. *Reliuium Roberti à Bergis Episcopi & Principis Leodiensis.*
26. *Iurisdictio plenissima resedit ab omni memoria penes Episcopos Leod.*
27. *Adolphus Imper. concedit Regalia & Iurisdictionem plenissimam Episcopo Leodiensi.*
28. *Donationes Regum & Imperatorum factæ Ecclesiæ Leodien. confirmantur per Pontifices Romanos.*
29. *Excommunicatio contra vsurpantes bona Ecclesiæ Leodien.*
30. *Iurisdictio plenissima Episcopi Leodien. etiam probatur per sententiam Pauli* II. *Pontificis Max.*
31. *In difficultatibus solet per Leodienses adiri Papa, non Imperator: quod docetur exemplo, nu. 32. & 34.*
33. *Superioritas docetur ab effectu ex actibus Superioritatem inferentibus.*
34. *Spoliatus ante omnia restituendus.*

HVius quæstionis occasionem præbet, quod multum referat an Ecclesia Leodiensis (quam erexit ante 900. & quod 1

excurrit annos S. Hubertus Aquitaniæ Ducis filius S. Lamberti martyris in Episcopatu successor, & primus post translatam Sedem à Tongrensibus Leodien. Episcopus, habeat temporalitatem suam in feudum à Principe seculari. Nam eo casu deberet eum recognoscere, & ideò ratione feudi ei subijceretur, *cap. 1. in fi. de cap. Corra.* deberetque ad illũ tanquam superiorem appellari, *cap. solita de Maior. & obed. cap. Romana*, §. *debet, de appell. in 6. Præpos. in Prælud. feud. nu. 39.* & ratio est, quod Ecclesia quæ suscepit à Domino temporali feuda, obstricta sit legibus feudalibus laicorum: Nam quoad ea, legitimo feudi Domino subijcitur, *Afflict. d. cap. 1. § vlt. nu. 25. & seqq. Card. Mantica tract. de tacit. & ambig. Conuent. lib. 23. tit. 3. nu. 85.* Respondeo ergo ad quæstionem propositam, Principatum Leodien. habere diuersa sub se feuda, regalia, & temporalia, cum omnibus suis Dominijs, etiam cum Iurisdictionis exercitio, quorum omnium Episcopus Leodiensis solet à Cæsare Inuestituram ac Reliuium acccipere, & alia facere, vti ex formula Reliuij accepti per Guidonem, siue vt alij Hugonem, Episcopum ab Adolpho Imperatore, *Anno Domini 1294. quæ extat in libris Chartarum Ecclesiæ Leodien.* videre licet, quæ talis est:

6\. Adolphus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus. „ Vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus, præsentes literas in„spectúris gratiam suam & omne bonum. Romani Imperij celsitu„do consurgens antiquitus, & fundata mirificè super nobile fun„damentum excellẽtiæ prærogatiua, qua viguit, columnis meruit „stabilibus, & egregijs ædificiorum iuncturis indissolubiliter ador„nari, inter quas quidem Illustres Principes ad totius operis ma„chinam supportandam, vt columnas voluit potiori præstantia „præeminere; vt quò vberius gratiæ priuilegijs insigniri se sen„tiunt, eò amplius debeant in obsequiosæ vicissitudinis retribu„tione gratuita cæteris præclarêre. Sanè cum Venerabilis Guido „electus & confirmatus in Episcopum Leodiensis Ecclesiæ, Princeps

ceps noster dilectus, ad Celcitudinis nostræ præsentiam accedens
in Werflaria Romano Imperio, & nobis obsequiosæ deuotionis
signa prætenderit, & omnimodæ obeditionis insignia præsenta-
rit, nos propter hoc ipsum tanquam nostrum & Imperij Pinci-
pem ad beneuolos applausiuæ dilectionis admittentes am-
plexus, Regalia feuda Principatus Pontificalis Leodiensis Ec-
clesiæ quam obtinet, de liberalitate Regia, & exigente iustitia
concessimus, & eundem Guidonem Electum & confirmatum
sceptro Regio inuestiuimus præsentialiter de eisdem: Admini-
strationem temporalium & Iurisdictionem plenariam Principa-
tus eiusdem Ecclesiæ prænotatæ Electo & confirmato præsen-
tium serie committentes, præsentibus talibus &c. Quocircâ man-
damus, &c. quatenus eidem obediant in omnibus, & pareant re-
uerenter. Datum Werffariæ 12. Kalend. Iulij, Indictione 7. Anno
Domini 1294. Regni verò nostri Anno 3.

Ex qua Reliuij formula inferri non potest Principatum Leo-
diensem esse feudum Imperij, nec Leodienses in causis ciuilibus
per Laicos coram Officiali Serenissimi & Reuerẽdissimi Episco-
pi & Principis Leodiensis, in prima instantia introductis ad Iudi-
dices Laicos, aut Cameram Spirensem, teneri appellare: nam li-
cet Principatus Pontificalis Leodiensis ratione Regaliorum quæ
accipit à Cæsare, illum recognoscere debeat, non ex hoc sequi-
tur, quod omnimodam Iurisdictionem causarum ciuilium, ac
ne quidẽ feudalium (saltem in possessorio *Rosental de feud. cap. 12.
conclus. 1. nu. 85.*) ratione istius iuris feudalis sibi reseruarit: ex quo
ista Inuestitura fuerit libera, vti patet ex verbis, *sceptro Regio inue-* 7.
stiuimus, quę denotant superioritatem, vt possit nimirum exercere
iura Imperij & omnimodam Iurisdictionem in suo Principatu.

Inde natus ille vsus, vt Episcopo Principi Leodiẽsi præferantur
in omnibus actibus publicis duo sceptra Regia argentea encausto
ornata, in signũ nimirũ supremi & liberi Dominij. nã vt corona,
ensis, vexillum, annulus, virga, & alia eiusmodi sunt inuestitura

honorũ & dignitatum symbola, ita etiam sceptrum Regiæ dignitatis & supremi Dominij symbolum est. quod quidem supremum Dominiũ etiam resultat ex eo quod S. Hubertus ex Regia Pharamundi Franciæ Regis stirpe oriundus, Episcopus primus Leodiensium, & Tongrensium vltimus, vt dictum est, in erectione Episcopatus Leodien. anno Christi 709. leges, mensuras, & pondera in Ciuitate Leodiensi constituerit, quæ etiamnum exactè obseruantur: ex hac enim ordinatione elicitur ius publicum, & supremum Dominium illi competijsse *Auent. lib. 4. Knichen de iure superioritatis cap. 4. nu. 232.* quod satis etiam euincunt verba antedicta Reliuij: *sceptro Regio inuestiuimus.*

Non quod supremum Dominium processerit à concessione Adolphi Imperatoris anno 1294. sed à munificentia potius Regum Franciæ, Caroli Martelli & aliorum circa annum Domini 770. per quam nimirũ transtulit Ecclesiæ Leodiensi omnem superioritatem iure belli istis in locis acquisitam. non quod etiam fundus ipse eiusve Dominium ante non spectaret ad Episcopos Tongrenses, quorum scilicet territorium ad villam legiam protendebatur, sed quod Carolus Martellus suo & Regum Francorum nomine omnem superioritatem & Iurisdictionem iure belli vt dictum est partam, post translatam Episcopatus Tongrensis ad villam Legiam sedem, Ecclesiæ Legiæ contulit, vt infra proprio cap. xviij ostendemus.

Maneat ergò supremum Dominium, & omnimodam Iurisdictionem Ecclesiæ Leodiensi ab antiquissimis iam temporibus competijsse.

Notanda etiam sunt verba sequentia prędicti Reliuij, *de liberalitate Regia & exigente Iustitia concessimus*, quæ important liberam & simplicem donationem. *Oldrad. Cons. 159. nu. 3. Clar. in §. feudum quæst. 17. latè Menoch. Cons. 1. nu. 11. & Consil. 191. nu. 9. Zas. Consil. 45. lib. 1. Cephal. Cons. 369. nu. 49. Roland. Cons. 3. nu. 73. & seq. Ludo. Gozad. Cons. nu. 16. & 19.* Nonobstante quod Ciuitas

nitas & Principatus Leodiensis interdum aliquid sacræ suæ Majestati Cæsareæ soleat dependere pro subsidio belli Turcici, quando infensissimus ille Christiani nominis hostis bellum contra Imperium mouet, quemadmodum contribuisse legitur anno 1532 quia non ideo minus liber dicitur Principatus quod in tali euentu aliquid cōcedat in signū Superioritatis *Restaurus Castaldus tract. de imperatore. quæst. 109. nu. 9. fol. 74. oceani vol. 12. Martinus Magerus de Aduocatia armata cap. 6. nu. 161. pag. 209.* etiamsi quid quotannis exsolueret *Menochius lib. 3. præsompt. 91. nu. 14.* Præterquam quod si Principatus Leodiensis esset feudum, censeretur feudum dignitatis, nimirum Regale, vt denotant verba præscriptæ Inuestituræ *sceptro Regio inuestiuimus.*

Feudum enim Regale dicitur quod est dignitatis, vtpotè 12.
quando à supremo Principe superiore, Ducatus, Principatus, Comitatus vel alia dignitas conceditur. ob id Regalia dicta quod Proceres illi eandem auctoritatem in sua ditione habent (exceptis paucis, vt creare Palatinos, & tabelliones, spurios legitimare & priuilegia generalia concedere) quam Imperator ipse aut Rex habere posset. & tale feudū non debet vt nec alia strictè intelligi, ex quo feudum, præsertim Regale, sit beneficium. *c. cum dilecti de donat. c. quia circa de priuileg. l. beneficium ff. de constit. Princip. Jo. Ferrar. Montanus lib. 1. de feud. cap. 6. vers. Tertio feudum rectum.*
Imò donatio facta Ecclesiæ ab Imperatore latissimè enterpretanda est quoad eius præiudicium, *d. l. beneficium Roland. Cons. 85. nu. 18. & seqq. lib. 4 Cephal. Cons. 369. nu. 73.* 13.

Atque hac ratione Episcopatus Leodiensis non præsumitur feudalis Imperij, *Card. Mantica tract. de ambig. conuent. lib. 23. tit. 4. fol. 115.* Ecclesia enim est inhabilis militiæ, & feudi, *Cuiacius de* 16.
feudis lib. 1. tit. 11. Zas. de feud. nu. 71. quod feudum regulariter habet tacitam conditionem si Vasallus seruire poterit *Marta de Clausulis clauf. 64. nu. 3.* quin ex verbis præscriptæ Inuestituræ patet concessam esse plenariam Iurisdictionem Principatus Ec-

clesiæ Leodiensis dicto Episcopo Guidoni, ibi, *Administrationem temporalium & Iurisdictionem plenariam Principatus eiusdem Ecclesiæ Electo & Confirmato præsentium serie committentes*, &c. quæ clausula rursum repetitur in concessione Regalium facta Episcopo Roberto à Bergis anno 1558. de qua infra cap. XIX.

Nam licet reseruatio directi Dominij & superioritatis semper
15. inesse censeatur in quacunque concessione feudali, *Marta, de Clausulis, part. 2. Clausula 65. Oldrad. Consf. 159. nu. 6. & 19. Afflictis decis. 384. nu. 12. Guido decis. 307. Iacobin. tract. de Homagijs nu. 39.* tamen hoc non est de natura feudi: nam ex pacto potest transire
16. in feudatarium. *Bald in l. si plures nu. 7. de condit. inser. & in Prælud. feud. nu. 19. Deci. Cons. 193. nu. 5.* vti videmus in prædicta feudi formula: licet alioqui ex illa inferri non possit concessio feudalis, sed potius donatio, vt diximus;

Nam licet in dubio omnis præsumptio sit capienda ad excludendam donationem, etiamsi actus redderetur nullus *l. si non sortem §. si falso ff. de cond. indeb. vbi Bart. Aret. in l. A Titio nu. 3. ff. de verb. oblig. Zas. in l. 1. §. Denique, nu. 13. ff. ad trebell.* tamen ex quo
17. facta fuit Ecclesiæ præsumitur magis Donatio libera, quam concessio feudalis, *Oldrad. Cons. 159. in primo dubio. Menoch. cons. 1. nu. 28. & 30. & cons. 9. nu. 66, lib. 1. Roland. à Valle, cons. 85. nu. 18. & seq. lib. 1. Grat. cons. 6. nu. 70. Cephal. cons. 369. nu. 73. & seqq.* Feuda enim & iurisdictiones liberè donari possunt *Menoch. lib. 3. Præsumpt. 91. nu. 12.* ex quo fit, vt Principatus, Comitatus, non præsumatur feudalis, sed proprius *Card. Mantica de Tacit. & ambig. Conuent. lib. 23. tit. 4. nu. 4.*

Nec interest quod ex verbo isto, *Inuestiuimus* inferatur feu-
18. dum, quia hoc verum esset nisi ex alijs verbis excluderetur feudi interpretatio, vt si adessent verba *concedimus vel donamus*. Oldrad. *Consil. 159. In primo dubio, Decius Consil. 193. nu. 5. Rolandus à Valle cons. 50. nu 55. lib. 3. Cephal. d. consil. 369. nu. 41.*

Neque etiam refert quod Episcopi Leodienses vt alij per Imperium

perium Regalia sua accepta referant ab Imperatoribus, quia per ea nihil de ipsorum Iurisdictione & auctoritate temporali detrahitur, quin potius illa confirmant atque corroborant, vti patet ex tenore Regaliorum & Inuestiturarũ Episcopis Leod. ab Regibus & Impp. Rom. concessarum, quemadmodum liquet ex Inuestitura prædicti Adolphi, vbi etiam nota Episcopum Leodiẽsem vocari Principem Imperij: vt & in literis Henrici Imper. anno 1231. aditi super difficultatibus inter Episcopum & Ciues, qui illum *dilectum Principem* vocat,

Verùm, vt hoc diuerticulum omittamus, inferimus ex paulò antedictis, satis superque constare Principatum Leodiensem non esse feudum Imperij signanter etiam quod quælibet res libera presumatur donec contrarium probetur, quod multis ostendit *Menochius d. lib. 3. præsumpt. 91. per tot.* vbi etiam id extendit ad Comitatus & Principatus qui liberi præsumuntur, & non feudales, *Bald. in cap. I. §. è contrario nu. 2. de Inuest. de re alie: fact.* etiamsi in prædicto Guidonis Episcopi Reliuio vsus sit Adolphus Imperator verbis his. *Regalia feuda Principatus Pontificialis Leodiensis de liberalitate Regia & exigente Iustitia concessimus.* quia non ideò minus præsumitur Principatus liber: debuisset enim exprimere se concedere iure feudi, vt in terminis probat Menonochius *dicta præsumpt. 91. nu. 11. & Card. Tuschus tomo 4. conclusio. 46. nu. 40.* cum feuda & Iurisdictiones liberè donari possint *Paris. Cons. 23. nu. 15. lib. 1. & Cons. 16. nu. 14. lib. 4. Menoch. Cons. 191. nu. 29.* maximè attentis verbis, *de liberalitate Regia & Iustitia exigente*, quæ inferunt simplicem donationem *Oldrad. Consil. 159. nu. 3. Menoch. Consil. 1. & 2.* & ostendi supra. 19 20 21

Nam verba illa *exigente Iustitia* important clausulam *propter benè merita*, quæ clausula in concessione apposita, non facit feudum, sed puram & simplicem donationem, præsertim si concessit omnia iura, nihil sibi reseruando, vt in dicto Reliuio, vbi etiam 22

habetur

habetur alia clausula simplicem donationem importans,
23. *de liberalitate Regia* *Bald. in c. 1. nu. 4. Si vasall. feud. priu. Abb. in Conf. 30. nu. 3. part. 2. Iaf. in l. si consortem §. libertus nu. 8. ff. de Cond. indeb. & in l. ex hoc iure nu. 54. ff. de Iust. & iur. Bursat. Conf. 45. nu. 2. in fi. vol. 1.*

24. Non est ergò Principatus Leodiensis Feudum Imperij, sed tantum sub illo Principatu multa & diuersa sunt feuda Imperij,
25. quorum ratione Episcopus Regalia petit & sacramentum fidelitatis, quod homagium vocant, præstat, & Imperator omnia &
" singula ipsius Episcopi Leodiensis & Ecclesiæ suæ ac Comitatus
" Lossensis Regalia, feuda, feudalia, & temporalia cum vniuersis
" Dominijs & attinentijs, mero & mixto Imperio, etiam Iurisdi-
" ctionis exercitio temporalis, &c. confert, & in feudum assignat,
" ac ipsum Episcopum de illis inuestit, mandatque omnibus Co-
" mitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, Vasallis,
" Officialibus, cœterisque terrarum, Ciuitatum, Locorum & Do-
" miniorum quorumcumque dictæ Ecclesiæ Leodiensis ac Comi-
" tatus Lossensis subditis suis, & sacri Romani Imperij Fidelibus di-
" lectis, districtè præcipiendo quatenus dicto Episcopo vti vero &
" ordinario eorum Domino in omnibus & singulis, tam Iudiciali-
" bus, quam extraiudicialibus, Iurisdictionumque temporalium
" exercitijs reuerenter pareant, Imperij tamen sacri iuribus aucto-
" ritate & superioritate semper saluis.

Hæc sunt verba concessionis Regaliorum & inuestituræ datæ Roberto à Bergis Episcopo Leodiensi trecentis circiter post annis, à Reliuio Guidonis nimirum per inuictissimum Ferdinandum Imperatorem anno 1558. Notentur verba *Iurisdictionumque temporalium*, quia sub ijs compræhenditur Iurisdictio plenissima meri & mixti Imperij *Roland. Conf. 42. nu. 17. & seq. lib. 2.* quid autē importet postrema clausula, *Imperij tamen sacri iuribus auctoritate & superioritate semper saluis*, infra cap. XXI. discutiemus.

Atque hæc Regalia & Iurisdictio plenissima prioribus quoque

quę æuis planè resedit penes Episcopos Leodienses, vti probatur
per diplomata Ottonis Imperatoris de data anni 981. & Henrici
quoque Imperatoris, de data 1006. quæ extant in Annalibus Reuerendi admodum Domini Ioannis Chapeaville quondam Canonici & Vicarij Leodiensis de eadem Ecclesia optimè meriti
tom 2. in Notgero & deprompta ex libris chartarum eiusdem Ecclesiæ, quibus constat Imperatores illos confirmasse priores donationes territoriorum, fundorum, oppidorum, per Pipinum,
Carolum Martellum, Ludouicum, Carolum Magnū Francorum
Reges, ex mera liberalitate Regia Ecclesiæ Leodieñ factas (quâ
formula vsus etiam est quadringétis post annis & amplius Adol- 27.
phus Imperator in concessione illa quam eidem Ecclesiæ nostræ
fecit, vti videre est ex supradicto Reliuio, idque omni publica
potestate exclusa (sunt enim verba Ottonis II. Imperatoris) Imperiali edicto præcipientes vt nullus Comes, nullus Iudex, nisi
cui Episcopus commiserit, audeat potestatem exercere super ea
loca, neque placitum habere (id est tribunal) aut freda (id est
emendam aut mulctam) aut tributa, aut bannos, aut telonia, aut
reditus de statiône nauium exigere; neque in quibuslibet alijs,
quæ vel nunc habentur, vel de cætero habenda sunt; hanc auctoritatem propria manu firmantes, &c.

Per quæ verba, quis non videat Episcopo Principi Leodiensi
competere plenissimam sine cuiusquam alterius superioris seu
publicæ potestatis recognitione Iurisdictionem?

Quæ sanè Imperatorum & Regum confirmationes atque con- 28.
cessiones rursum roboratæ sunt nedum per alios successores Imperatores, verum etiam per SS. Pontifices, & nominatim per
Adrianum Papam eius nominis IV. qui inter alia decretum seu
pœnam excommunicationis subijcit *quæ extat tom. 2. Annal.
eiusdem Domini Chapeaville, in Henrico II. Episcopo Leodiensi
pag 107.* contra perturbantes Ecclesiam Leodiensem, vel eius
possessiones auferentes, vel ablatas retinentes, minuentes, seu 29.

quibuſlibet vexationibus fatigantes, tales inquam reos eſſe Diuini Iudicij & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Ieſu-Chriſti alienos eſſe, idem S. Pontifex decernit & in extremo(verba eius ſunt) examine diſtrictæ vltioni ſubiacêre declarat.

Eadem decernuntur in Sacroſancta & Generali Synodo Conſtantienſi contra violantes libertatem Eccleſiæ Leodienſis, vbi
30. Fredericus Imperator tunc voluit quod nulla cõmunitas vel perſona publica ſeu priuata collectas ſeu exactiones, angarias vel perangarias Eccleſijs vel alijs pijs locis aut Eccleſiaſticis perſonis imponere ſeu inuadere Eccleſiaſtica bona præſumeret, ſin aliter & requiſita ab Eccleſia vel imperio huiuſmodi emendare contẽneret, tripliciter refunderet, & nihilominus Banno Imperiali ſubiaceret: cui Banno etiam obnoxius eſſet qui in excommunicatione propter libertatem Eccleſiæ violatã per annum perſiſteret. Dat. Conſtantiæ 9. Kal. Octob. anno. 1415.

Atque vt ad rem redeam, Iuriſdictio hæc pleniſſima, etiam probatur per ſententiam in contradictorio iudicio latam per Paulum II. Pontificem Max. *quæ extat lib. 4. chartarum dictæ noſtræ Eccleſiæ Leodienſis pag. 248.* quam equidem quod omnibus obuia ſit minus hic edendam cenſui, certè compendij cauſa. Quanquam, notandum putem, ſi quid difficultatis (vt nihil eſt in hoc Orbe tam clarum quin interdum tenebriones Soli nebulas offundere nitantur) ratione Iuriſdictionis temporalis Epiſ-
31. copum inter & ſuos ſubditos oriri contingat, nunquam Cæſarem adiri ſolitum, ſed ſummum Pontificem, vti contigit ante annos circiter 27. tempore alt. mem. Erneſti. Cum enim Con-
32. ſules cum toto ſtatu populari Ciuitatis Leodienſis eidem Sereniſſimo Erneſto exponerẽt, fuiſſe libellũ ſupplicem per ordinem Equeſtrem & Magiſtratum Viſetenſem, ratione cuiuſdã exceſſus ibidem tum commiſſi, Conſilio ordinario exhibitũ, in quo dicebatur Reuerendum Dominum Officialem Leodienſem non habere auctoritatem inquirendi aut iudicandi in dicto oppido Viſe-

tenſi

tensi contra personas Laicas, sed omnes & singulas coram suis immediatis & subalternis loci Iudicibus tanquam solis Ordinarijs conueniri, & per eos solos puniri debere, aditus super hoc per Commissarios Illustris Capituli Cathedralis Serenissimus Episcopus Princeps Ernestus, seriò mandauit (vt patet ex eius rescripto 7. Mai 1603) Iurisdictionem suam antiquissimam per suum Officialem exerceri solitam conseruari debere, neque eam possessionem aliquo modo aut conatu alterari posse, donec per Pontificem aliud statueretur, inhibendo omnibus & singulis ordinarij Concilij Consiliarijs & toti Collegio, ne caussæ per supplicem libellum mentionatæ, aut similibus negotijs Iurisdictionem suam & sui Officialis concernentibus, sub pœna grauissimæ indignationis sese immiscerent, vel Officialē aut Fiscum aliquo modo aut conatu in prosecutione negotij impedirent, & possessionē turbarent, adiecto decreto & clausula irritanti, quod quæcūque aduersus hanc ordinationem attentarentur, pro nullis & infectis haberet. Hactenus decretū & ordinatio Serenissimi Principis Ernesti.

Ex qua quidem Constitutione, ducitur argumentum, Iurisdictionem illam Ciuilem & Criminalem inter profanas personas residere penes Episcopos, alioquin occurrente Iurisdictionis conflictu inter subditos & Officialē, recurreretur non ad Pontificem, 33.
sed ad Cæsarem, quod semper secus fit, vt ostēdimus. Superioritas autem docetur ab effectu ex actibus superioritatem omnimodam & vniuersalem inferentibus *And. Knichen tract. de sublimi & Regio territorij iure c. 3. nu. 186.* vti in casu præsenti ostenditur ex recursu ad S. Sedem, veluti superiorem in cōflictu Iurisdictionis, maximè in possessorio *per not. Ant. Capicij. decis. Neapol 77. nu. 12. & seqq.* vbi ostendit spoliatum ante omnia restituendum 34.
etiamsi non doceat de titulo.

Quinimò, inualuit iste vsus, vt si quid à Cæsare mandetur Episcopo vnde se grauatum sentiat, solet ille Pontificem appellare, tanquam suum immediatè superiorem, vti patet ex difficultate superioribus seculis exorta inter Episcopum tunc Leodiensem

& suos Schabinos, anno Domini 1386. de quo extant in Archiuis Ecclesiæ nostræ documenta probatissima.

CAP. XVIII.

Ostenditur Cæsarem non esse immediatè superiorem Episcopi Leodiensis, quod prætendatur Ciuitas Episcopatu anterior.

SVMMARIVM.

1. *ANte translatam sedem Episcopalem è Ciuitate Tongrensi Leodium, nullum illius extabat Ciuitatis vestigium.*
2. *Leodium, siue Legia ignobilis Lotharingiæ viculus.*
3. *Qui nobilitatus martyrio S. Lamberti.*
4. *Imperium Legiæ donat Carolus Martellus S. Huberto.*
5. *Imperium Regum Francorum diu ante Julij Cæsaris tempora.*
6. *Legia siue Leodium non recognoscebat tempore Caroli Martelli Imperium Germanicum.*
7. *Lothario Caroli Magni nepoti iure hæreditario obtigit Lotaringia quæ antea Austrasia dicebatur.*
8. *Romano Imperio incorporata sub Ottone primo.*
9. *Otto primus Rom. Imperator Lotharingiam & Burgundiam incorporauit Imperio, eodem iure relicto Ecclesiæ quo ante fruebātur Episcopi Tongrenses.*
10. *Partitio* Lotharingiæ *sub Ottone* II.
11. *Ciuitas Leodiensis condita sine vllo Imperatoris assensu.*
12. *Legia ne quidem fuit Ciuitas tempore S. Monulphi Tongrorum Episcopi vigesimi in ordine primi.*
13. *Vaticinium S. Monulphi de Legia villa.*
14. *S. Hubertus vltimus Tongrorum Episcopus transfert sedem Episcopalem ad villam* Legiam, *quam mœnibus cingit & in* Ciui*tatem erigit*
15. *Encomium Ciuitatis* Leodiensis *datum à S. Huberto illius Episcopo & vero Domino.*

16. *Anti*

16. *Ante tempora S.Huberti Leodium parebat Imperio Regum Franciæ: & ante hos nullum Ciuitatis vestigium extitit.*

17. *Prouincia Belgica paruit Imperio Romanorum 500. annis antequam in ius Regum Francorum concederet.*

18. *Reges Francorum subiecerunt sibi prouinciam Belgicam exactis inde Vandalis & Gothis circa annum Christi 410.*

19. *Eandem insedêre vsque ad tempora Caroli Martelli, qui territorium Iurisdictionale villæ Legiæ donauit S. Huberto circa annum Christi 725. cuius donatio per plures Pontifices & Cæsares confirmata fuit.*

20. *Bona in Ecclesiam collata fiunt Ecclesiastica.*

21. *Otto secundus Imper. concedit Episcopo Leodiensi omnem potestatem.*

22. *Episcopi Leodienses respectu suorum subditorum Maiestatem acquisiuisse censentur, & ipsos donatores repræsentare.*

23. *Principes immediatè Imperio subiecti omnia possunt in suis territorijs quæ potest Imperator ipse in suis territorijs,*

24. *Ciuitates Imperiales in suo territorio iura Principis habent.*

25. *Secus dicendum de Ciuitatibus inferioribus.*

26. *Auctor non intendit quicquam de iuribus sacræ suæ Cesareæ Maiestatis imminuere.*

VErùm, non desunt, qui censent Episcopum Leodien. cum sua Ciuitate immediatè ab Imperatore dependêre hoc prætextu, quod Ciuitas Leodiensis sit anterior Episcopatu, sicque Iurisdictionem omnem à sacratissimo & inuictissimo Imperatore accipere. At, hoc tam alienum est à vero, quam quod alienissimum: 1. cum ante translatam è Ciuitate Tongrensi Episcopalem sedem in viculum Legiam, vix vllum extaret non Ciuitatis sed exiguæ villæ vestigium; & quidquid erat mapaliorum & Iurisdictionum in isto ignobili tum Lotharingiæ (inquit Molanus) *In Martyrologio.* viculo, postea martyrio & miraculis S.Lamberti Episcopi nobi- 3.

 litato,

litato, acceptum tulit S. Hubertus Aquitaniæ Ducis filius, eiusdem S. Lamberti successor in Episcopatu, à Carolo Martello Alpaidis adulteræ filio, idque in expiationem martyrij S. Lamberti quo martyrio illum affecerat perditæ nequitiæ Dodo Alpaidis frater, ob repræhensum nimirum adulterium cum Pipino Maiore Domus Regiæ Franciæ commissum. Extant porrò nunc parietinæ castri Pipini ictu tormenti bellici à Ciuitate distantis in pago de Iuppille. Cuius donationis meminit Leuinus Brechtus, versibus quos sic recenset Reuerendus admodum Ioannes Chapeaville Canonicus & Vicarius Leodiensis in vita S. Huberti primi Episcopi Leodiensis & S. Lamberti Patroni nostri successor in Episcopatu post translatam à Tongrensibus sedem:

4\.

Martyrio illustris Doctor, niueoque pudore
Lambertus, populo Leodinæ præsidet vrbi.
Cuius non multo post tempore, prima locauit
Mœnia, translatis chari cum sede Magistri
Ossibus Hubertus; vicoque ex paupere claram
Reddidit, instituens mensuras, pondera, leges:
Francorum postquam vindex, equitumque Magister
Carolus, Alpaidis proles generosa, paternis
Dignus auis, quem Martellum cognomine dicunt,
Illectus pietate viri, ingenioque sagaci,
HVBERTO IMPERIVM TERRÆ, *& ius condidit omne.*

Sic ergò à Carolo Martello, qui Saracenorum Malleus dictus est, quique Præfectus Palatij (*Maiorem*, vocabant) & totum
5\. Regnum Germanorum Francorum (quod diu ante Iulij Cæsaris tempora & Natiuitatem Christi extitit vt annotat modernus Parisien. *de Monarchia Francorum nu. 4.7.*) gubernabat sub annũ Christi 719. quique in recta & masculina linea ab ipso Ranchario filio primogenito Clodionis Comati, filij & successoris Pharamondi primi Francorum Regis descendit, Legia nostra profluxit:

fluxit; quæ tempore prædicti Caroli Martelli viculus erat Lotharingiæ, nullatenus recognoscens Imperium Germanicum, Ca- 6.
rolum Martellum, & Lotharium, sed Caroli Magni (quem nonnulli dicunt Leodij natum teste Munstero lib. 3, fol, 91.) nepotem, cui iure hæreditario obtigerat hæc Lotharingia, quæ antea
Austrasia nuncupabatur, à cuius Lotharij nomine Lotharingia 7.
postea appellata est, & demum Romano Imperio incorporata sub Ottone primo. Extincta enim in quinta generatione, totâ
posteritate, saltem virili, Caroli Magni Francorum Regis, Galli 8.
proprium sibi elegerunt Regem, Germanis relicto Imperio, quod prius & Gallis & Germanis commune fuit. In illa autem
Imperij successione dictus Otto factus est Romanorum Impera- 9.
tor, qui Lotharingiam & Burgundiam incorporauit Imperio, eodem iure relicto Ecclesiæ quo antea gaudebant Episcopi Tongrenses, qui facti sunt quoque Germaniæ Præsules & Imperij Principes cũ eadẽ in istis ditionibus rebus donatis potestate quam habet ipse Imperator in toto Imperio. Et sub Ottone secundo filio Ottonis senioris sub annum Christi 973. partita est dicta Lo-
thoringia, & partim Coloniensi, & Leodiensi Præsulibus do- 10.
nata, nulla feudi aut recognitionis facta mentione, partim Carolo Franco feudo concessa, vti refert Sebastianus Verronius Præpositus Friburgensis in Chronicis Eccles. & Monarchiarum.

Quod quidem idcircò deduco, vt successiuè ostendatur Ciuitatem Leodiensem multis seculis Episcopatu posteriorem, & per manus Episcopi, vt infra dicemus, conditam, sine vllo Imperatorum assensu, neque tempore Caroli Martelli & S. Lamberti vllum
Ciuitatis Legiæ vestigium fuisse, sed Villę duntaxat, vti etiam dis- 11.
cimus ex antiquissimo Ecclesiæ Cathedralis officio in Antiphona prima ad laudes festi S. Lamberti, verbis his:

Contigit ergò Virum cælesti munere dignum
Vrbis vicinas extra secedere partes,
Venit & ad villam quæ Legia nomine fertur.

Quinimò

Quinimò, tempore S: Monulphi vigeſimi primi Tongrorum Epiſcopi, quem S. Hubertum 200. circiter annis præceſsiſſe ex
12. Annalibus noſtris liquidò comperimus, Legiam Ciuitatis nomen non habuiſſe conſtat: ex quo perſpicuum ſit, eundē Monulphum
13. villam Legiam prætergredientem Prophetico ſpiritu prædixiſſe, locum hunc electum à Domino ad multorum fidelium ſalutem, & per merita cuiuſdam ſerui ſui poſtmodum magnificè illuſtratum & ſummis Ciuitatibus æquandum iri, moxque locum hunc, qui erat ipſi proprius, vt pleriq; autumāt, pro oratorio deſignauit anno circiter 609. conſtructa ibidē Eccleſia Coſmæ & Damiani, quam S. poſtea Lambertus inſtaurauit ac potius à fundamentis renouauit & ad extremum ſacro ſuo Sanguine nobilitauit.

Cum ergò tempore S. Huberti vnoque & altero ante eum ſeculo, æuo nimirum S. Monulphi, & poſtea Notgeri nullum Ciuitatis extiterit veſtigium, vanum eſt velle Ciuitatem Leodienſem
14. immediatè ab Imperatore dependêre, quòd illa fuerit Epiſcopatu anterior: cùm S. Hubertus qui primo Epiſcopalem Sedem à Ciuitate Tongrenſi ab Hunnis alijſque barbaris vaſtatæ in abiectiſſimum hunc Lathoringiæ viculum, *Legiam* dictum, tranſtulit ſub annum Chriſti 709. illam mœnibus cingere cœperit; leges municipales ſtatuerit, pondera & měſuras ordinauerit aliaq; meri & mixti Imperij propria ſtabilierit, eiq; naſcenti vrbi ſigillū publicum martyris Lamberti conſpicuum cum inſcriptione *Sancta*
15. *Legia Romanæ Eccleſiæ filia* tanquam Epiſcopus & verus Princeps dederit: poſtea verò cœptam vrbem, Notgerus 46. Epiſcopus circiter annum Chriſti 971. muris munitam, Eccleſijs verò pluribus ornatā reddiderit. Ex quo patet, quod iam tum æuo Sancti Huberti, Leodium Epiſcoporum, non Imperatorum Imperio gubernaretur. Antea autem abiectus iſte locus per Regulos illos
16. Pipinum, Carolum Martellū, Ludouicum Lotharium, alioſque Francorum Principes regebatur. Et ante hos dum Belgium ſiue inferior Germania ciſ Rhenana in Romanam Prouinciā redacta

eſſet.

esset, nullam fuisse in ea Ciuitatem proditum est, præter Agrippinam Metropolim, & Tongrensem, in quarum vtraque Episcopus S. Maternus, & exinde alij constituti fuêre, quorum Iurisdictio ad vniuersos huiusce Prouinciæ fines protendebatur. Quæ Prouincia remansit sub Imperio Romanorum, vt rectè animaduertit R. P. Bucherius *in sua disput. hist. ad Gesta Pontif. Reuerendi Domini Vicarij Chapeauille* annos ferè quingentos, donec inclinatis sub Honorio & Valentiniano III. Romani Imperij rebus (namque 17.

In se magna ruunt, lætis hunc Numina rebus
Crescendi posuêre modum Lucan. 1.)

in ius ditionemque Francorum, concederet. quorum quidem Reges pulsis ab hac ipsa Prouincia, adeoque Gallia Vandalis Alanis, Gothisque, suam fecêre sub annum Christi 410. eamque exinde dicti Francorum Reges suo Regno adiecêre, illamque insedêre vsque ad tempora eiusdem Caroli Martelli, cuius & prædecessorum pia donatione, territorium istud Iurisdictionale Leodiense sub annum Christi circiter 725. peruenit ad S. Hubertum primum Leodiensium Episcopum. Quæ donationes per plures postea Pontifices inter quos Adrianus IV. & Imperatores, nominatim verò per Carolum II. de anno 884. Ludouicum, de anno 908. Ottones I. II. & III. de anno. 944. 981. & 985. Henricũ de anno 1006. & 1008. Henricum IV. de anno 1070. denique Fredericum, de anno 1155. confirmatæ reperiuntur, atque ita territorium istud quod partim donatũ fuit ab ipsismet Ecclesiasticis, vt infra cap. xxij. dicemus, partim profanum & seculare, vt potè sub Iurisdictione & Imperio Francorum, factum est omninò iuris Ecclesiastici: 18. 19.

Bona enim in Ecclesiam translata Ecclesiastica fiunt, & religiosa *l. quæ religiosis ff. de rei vend. Oldr. Cons. 83. nu. 3. & 4. Hostien in c. minus de Iureiur. D. in c. dilecte de Donat. c. 1. de Immunit. Eccles. Farina, Cons. crim. lib. 3. Cons. 196. fol. 115.* Hinc præclarè 20.

Bonifacius Papa *in cap. Nulli. 12. quæst. 2.* Nulli, inquit, liceat
" ignorare, omne quod Domino consecratur siue homo, siue ani-
" mal, siue ager, Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad ius per-
" tinebit Sacerdotum, propter quod inexcusabilis erit omnis, qui
" quæ à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat & inua-
" dit, vel eripit, & vsque ad emendationem Ecclesiæque satisfactio-
" nem, vt sacrilegus iudicatur, & si emendare noluerit, excommu-
" nicetur. qua de re videatur infra cap. 28. & 29.

Vnde merito præcipitur in prædictis confirmationibus dona-
21. tionum Ecclesiæ Leodiensi factarum, vt nullus Comes, nullus
" Iudex, nisi cui Episcopus commiserit, (verba sunt Ottonis II.)
" audeat potestatem exercêre super eiusmodi loca Ecclesiæ Leo-
" diensi donata, neque placitum (*id est tribunal*) habere, aut freda,
" (*id est emendam*) aut tributa, aut banna, aut telonia, aut reditus de
" statione nauium exigere, neque in quibuslibet alijs quæ nunc ha-
" bentur, vel de cætero habenda sunt, &c. Adeò, vt duplici vinculo
muniti sunt Leodienses, & iuris, communis præcitati, & confirma-
tionis multorum successiuè Cæsarum, nec non cōcessione Rega-
liū Episcopo Guidoni anno 1294. per Adolphum Imperatorem
facta, quæ habetur supra cap xvij, in qua videbis eundem Adol-
phum Guidoni Episcopo *Regalia feuda Principatus Leodiensis de liberalitate Regia & exigente Iustitia concessisse, & eundem sceptro regio inuestiuisse.* Quorum verborum vim & energiam supra ex-
plicauimus dicto cap. xvij.

At hic licet addere Episcopos Principes Leodienses cum ex
22. dictis Cæsarum confirmationibus, tum ex concessione Rega-
lium facta Episcopo Guidoni censeri respectu subditorum suo-
rum Maiestatem acquisiuisse, & ipsos Donatores repræsentare. *Io. Harprecht* § *in summa autem 10. nu. 144. Instit. de Iniur. Pet. Ant. de Petra tract. de Potest. Principum c. 3. q. 4. nu. 73.* vbi dicit Duces, Principes, &c. eo ipso quod sint tales creati, etiamsi recognoscant superiorem, tamen habent plenitudinem potestatis, quod & pro-
bat

bat Boss. *tit de Crim. læsæ maiestatis nu 55.* quos sequitur Martinus Magerus Consiliarius Serenissimi Archiducis Leopoldi *in suo tract. de Aduocatia armata cap. 6. nu 78. & seqq.* vbi nu. 74. scribit Principes immediatè Imperio subiectos omnia posse in suis territorijs quæ potest Imperator in Imperio, vti consulendo respondit Alex. *Cons. 2. nu. 9. lib 1. & Cons. 1. nu. 29. lib. 5. & cons. 12. nu. 9. lib. 7.* Ang. *cons. 139.* Barb. *cons. 34. lib. 2.* Schurss. Cons. *18. nu. 2. Cent. 2.* Decian. *resp. 5. nu. 17. Vol. 4.* Rimmal. *Cons. 370. nu. 3.* Natta *Cons. 554 nu. 19. vol. 3.* Castren. *Cons. 34. nu. 1. & 5. lib. 2.* Roland. à Valle *Cons. 91. nu. 17. vol. 2. & Cons. 29. nu. 26. & cons. 86. nu. 13. Bart. in l. Ciuitas nu 3. cùm seqq. Si cert. pet.* Ias. *ibid. nu. 6. in fi.* Alex. *in l. si se non abstulit nu. 24. ff. de Reuid.* Borcholt *tract. de feud. c. 55. nu. 87. Shrad. tract. de feud. p. 2. sect. 10. nu. 36.* Imò, Ciuitates Imperiales immediatè Imperatorem recognoscentes, ex communi Doctorum sententia, in suo districtu & territorio iura Principis habent, & vicem Principis obtinent *l. prohibere §. planè cum seqq. ff. quod vi aut clam. Bart. in l. infamem nu. 14. de publ. iud.* vbi dicit Ciuitatem liberam tantum posse in suo populo, quantum Imperatorem in Imperio *Abb. in c. quæ in Ecclesiarum nu. 6. de Constit Gail. lib. obser. 5.* secus dicendum de Ciuitatibus inferioribus, quæ mediatè Imperatorem recognoscunt, quia loco priuatorum habentur *l. eum qui ff. de verb sig. vbi glo. l. nihil interest ff. ad Maced. Gail. de pace pub. lib. 1. c. 6. nu. 11.* Quanquam hæc à me non eò dicũtur, vt præ auctoritate & Iurisdictione Episcopi Principis Ciuitatis & Patriæ Leodiensis, imminutam velim auctoritatem & sublimitatem sacræ Cæsareæ Maiestatis, cuius Regalia alioqui tanquam Imperij Princeps Episcopus recognoscit, sed vt innotescat omnibus, cuius ab omni æuo fuerint Episcopi Leodienses potentiæ, qualem prærogatiuam iuris Dominicalis habuerint & etiamnum habeant, quali item Iurisdictione polleant in omnibus causis ciuilibus & mixtis ac etiam criminalibus inter personas, merè profanas: quod rursum latius ostendetur ex infra dicendis.

23. 24. 25.

CAP. XIX.

Afferitur Iurisdictio Sereniffimi, & Reuerendiffimi Epifcopi ac Principis Leodienfis ex præiudicijs fuperiorum annorum, quin ætatis immemorialis, quibus eleuantur obiectiones & conatus Ordinis Equeftris Patriæ Leodienfis aduerfus Curiam Officialis eiufdem Sereniffimi Epifcopi Principis.

SVMMARIVM.

1. *FRuftra olim nonnulli tentarunt adimere à foro Ecclefiaftico Officialis Leodien. cognitionem caufarum criminalium.*
2. *Grauamina Cleri primarij aduerfus molimina ftatus Equeftris patriæ Leodienfis.*
3. *Articuli eiufdem Cleri fundantes Jurifdictionem Epifcopi, fuique Officialis.*
4. *Antiquiffima Iurifdictio Epifcopi Leodienfis in caufis Ecclefiafticis & ciuilibus.*
5. *Grauamina Cleri fecundarij, pro affertione Iurifdictionis Epifcopi fui.*
6. *Grauamina Syndici Confulum Ciuitatis Leodienfis aduerfus ftatuta fubreptitiè fabricata contra Iurifdictionem Epifcopi Leodienfis.*
7. *Atteftatio Confulum Ciuitatis Leodienfis, per quam adftruitur Iurifdictio pleniffima Epifcopi & Principis Leodienfis.*
8. *Reformationes iudiciorum à Nobilibus olim procurata iam euanuerunt.*
9. *Refcriptum non valet per quod Princeps confirmat ftatuta fine caufa cognitione.*
10. *Rex Galliæ nulla condit Statuta fine confenfu trium Statuum.*
11. *Reformatio non obferuata non ligat.*

12. Ad

12. *Ad tollendum vires statuti aut legis humanæ non receptæ sufficiunt decem anni.*

13. *Statuta laicorum non ligant clericos.*

SEd videor audire nonnullorum malè affectorum erga hanc Iurisdictionem Ecclesiasticam voces mussitantium, iam à plusculis annis, statutis huius patriæ ordinatum esse Iurisdictionem in criminibus laicis inter laicos commissis, spectare ad consistorium laicorum.

Nam respondeo, statuta illa Reformationum publicata anno 1592. die 26, Iunij quibus illi nituntur, & quibus multa aduersus 1.
priuilegia patriæ & Iurisdictionem Serenissimi Episcopi Principis Leodien. ordinata sunt, fuisse citra & præter consensum nedum eiusdem Serenissimi Episcopi & sui Capituli, verùm etiam Cleri Secundarij & tertij Status, conflata & promulgata, ideoque tum temporis Clerum Primarium & Secundarium ad Sedem Apostolicam, Tertium verò Statum, sacram Cæsaream Maiestatem appellasse, vti ex grauaminibus singulorum hic insertorum videre licet, quæ posteritati commendanda censui, ne qua similia Ecclesiasticæ libertati & Iurisdictioni maximè præiudicialia olim attententur.

Et primò Syndici primarij Cleri maioris Cathedralis Ecclesiæ Leodiensis.

Reuerende Pater Domine Abbas Monasterij Sancti Iacobi Leodiensis Iudex Executor & Conseruator Iurium, Iurisdictio- 2.
num, priuilegiorum & bonorũ Episcopatus Capituli Maioris Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis, Syndici siuè Procuratores eorundem acceptant confessiones Deputatorum Status Nobilitatis nuper die decima sexta & penultima mensis Maij anno currente 1603. coram vobis factam, quatenus pro suis Dominis faciãt duntaxat, his verbis:

Declarantes quod non intendant neque vnquam intenderint turba

turbare aut impedire Iurisdictionem S. Sereniſſimæ Celſitudinis ſuæ uè Eccleſiæ Leodienſis, ſed ſolum tueri & defendere priuilegia, immunitates franchiſias, Incolis Patriæ Leodienſis per paces publicas, vel aliàs competentia & competentes, ſecundum facultatem ſuo ordini vel ordinationibus patriæ Leodien. attributam per priuilegia, paces publicas moribus & vſu inueterato, vel alio quocumque iure ſtatuto, vel priuilegio, & non aliter

Item fatentur ſuam Celſitudinem vti Principem & Epiſcopum Leodienſem à tempore immemorabili fuiſſe & eſſe in poſſeſſione exercēdæ Iuriſdictionis per totam patriam ſui Epiſcopatus, quam poſſeſſionem nullo vnquam modo impediuerunt aut turbarunt, nec impedire aut turbare intendunt, ſicuti priore reſponſione apertè declararunt, quam reiterant. Hactenus proteſtatio Nobilium.

Et vlterius ijdem Syndici pro maiori ſuæ intentionis & cauſæ inſtructione aliaſque ad omnem finem & effectum ijſdem ſuis Dominis quomodolibet prodeſſe valentem petunt recipi, audiri & examinari teſtes quos producunt ſuper articulis ſequentibus.

3. Primò, quod Epiſcopus Leodienſis ab omni æuo & citra habuit & exercuit, habereque & exercere conſueuit per ſuum Vicarium qui Officialis Curiæ Leodien. vocatur, omnimodam Iuriſdictionem in Spiritualibus, & temporalibus per totam ditionem & prouinciam Epiſcopatus Leodienſis & Comitatus Loſſenſis.

4. Secundò, quod prædicta conſuetudo fuit & eſt antiquiſſima habeturque pro notoria, nimirum quod Epiſcopus Leodien. in ſua ditione à tempore cuius initij memoria non eſt in contrarium, ſemper & perpetuò ab annis centum, ducentis, trecentis, quadringentis, quingentis & quod excurrit, & citra habuit & habet Iuriſdictionem, non ſolum Eccleſiaſticam, verum etiam ſecularem & temporalem conſtituitque & habuit ſuum Officialem Curiæ ſuæ Leodienſis, qui per totam eandem ditionem eſt Iudex ordinarius omnium ſubditorum & Incolarum eiuſdem ditionis

ditionis immediatus, proque tali habitus & reputatus in omnibus cauſis ciuilibus, criminalibus, perſonalibus, realibus, & mixtis, non tantum in Eccleſiaſticis, ſed etiam in profanis, & tam inter laicos & aduerſus laicos, quam inter clericos primæ tonſuræ, qui ſecundum iuris diſpoſitionem & conſtitutiones ſynodales approbatas qualificati ſunt.

Tertiò, quod de eadem cõſuetudine dicti Clerici quoties actione perſonali coram Iudice ſeculari conueniuntur, habuerunt & habent priuilegium recurrendi ad prædictum Officialem, dummodo Iuriſdictionem Iudicis Secularis non prorogauerint.

Quartò, quod idem recurrendi priuilegium hactenus ſemper ex dicta conſuetudine viduis, pupillis, minoribus, & perſonis decrepitæ ætatis actione perſonali coram Iudice ſeculari conuenit competijt, & competit.

Quintò, quod ſecundum eandem conſuetudinem per concordata approbata confirmatam, quoties in cauſis ciuilibus etiam profanis, coram Iudicibus ſecularibus motis & pendentibus, incidit quæſtio virium & non virium teſtamentorum, ac pactorum matrimonialium, eorumuè interpretationis, aut aliqua quæſtio ſpiritualis, aut præiudicialis, dummodo huiuſmodi quæſtiones non ſint coram Iudicibus ſecularibus prorogatæ, liberum & licitum ſemper fuit & eſt alterutri partium petere remitti eiuſmodi cognitionem ad Officialem Iudicem Eccleſiaſticum.

Grauamina Secundarij Clerici Leodienſis
ad Sanctam Sedem.

Primò quod a. 100. 200. 300. annis, & tempore omnem hominum memoriam excedente, Eccleſia Leodienſis & in ea Officiales ab Illuſtriſſimo Epiſcopo & Clero pro tempore deputati, 5.
citra cuiuſquam cõtradictionem fuerunt & ſunt in antiqua & pacifica poſſeſſione cauſas omnes & actiones reales, & mixtas, aut quæ ſuper fundis vel bonis immobilibus, aut alijs in tota patria Leodienſi, & Comitatu Loſſen. & per eam in quaſcumque

perſonas

personas etiam merè Laicas, coram se intentarentur cognoscendi, tractandi, & definiendi, sententiasque à se vel Commissarijs suis desuper latas, exequendi, prout in hunc diem causas & actiones huiusmodi cognouerunt & definierunt ac cognoscunt & definiunt iure suo ordinario, & tanquam Iudices causarum huiusmodi competentes.

Secundò, quod ipsum statutis Synodalibus à ducentis annis auctoritate Apostolica confirmatis & vsu receptis constitutum est; quibus excommunicantur & excommunicati denuntiantur qui subditis suis interdixerunt, ne causas huiusmodi coram Officiali Leodiensi introducant,

Tertiò, quod per idem tempus atque ab omni æuo dicta Ecclesia & Archidiaconi omnes sui, in suis quisque limitibus ac Officialis Leodiensis, consueuerint coërcere & punire quæcumque crimina, etiam per laicos & seculares, etiam in laicorum terris & Dominijs perpetrata, fueruntque ijdē Archidiaconi & Officiales in eadem antiqua & pacifica possessione eam Iurisdictionem exercendi & criminosos ac delinquentes coërcendi & puniendi, absque cuiusquam oppositione, declinatione vel impedimēto.

Quartò, quod similiter ab omni tempore vsitatum & obseruatum fuerit & vsitetur, ac obseruetur, vt clerici in habitu & tonsura incedentes, etiamsi beneficium Ecclesiasticum non obtinerent, neque Ecclesiæ alicuius seruitio mancipati essent, gauderent nihilominus priuilegio clericali, & coram Iudice Ecclesiastico conuenirentur antè coram laico conuenti, ad Ecclesiasticum recurrerent per quem laico inhiberi curarent, dictique Iudices laici eiusmodi inhibitionibus paruerint, nec vllam prætextu cuiusuis delicti, contractus vel rei in similes clericos Iurisdictionem exercuerunt, sed tota in eos Clericos Iurisdictio penes Iudicem Ecclesiasticum fuit & est,

Quintò, quod vt laudabiliter & inconcussè semper obseruatum fuit, ita bonæ memoriæ Episcopus Vercellensis Nuncius Apostolicus

Apoſtolicus cum Concilij Tridentini decreta Leodij publicaret & multis & iuſtis cauſis motus conſuetudinem & obſeruantiam huiuſmodi non improbauit aut aboleuit, ſed dicti Concilij Tridentini diſpoſitionem ſuper eo, & quibuſdam alijs pũctis factam, ſuſpẽdit, donec aliud deſuper per ſedẽ Apoſtolicam ſtatueretur.

Sextò, quibus ſtantibus, licet Eccleſiæ Archidiaconis & Officialibus præfatis quæ Iuriſdictio eſſet præſeruanda, deberentque tam ipſi quam Clerici ſuprafati in antiqua ea vel iuriſdictionis vel priuilegij poſſeſſione manuteneri, & defendi, nihilominus ordo Equeſter, reliquis inconſultis, imò Clero reclamante certas innouationes, quas Reformationis titulo palliat, edidit, quibus omnem propemodum Eccleſiæ in perſonas & res Iuriſdictionẽ adimere intendit, eaſque ad mutuatum nomen Sereniſſimi Principis noſtri, fictamque omnium ordinum Inſtantiam auctoritate Cæſarea confirmari ac demum Leodij publicari, cleroque & Ciuitatibus Conſulibus ac alijs Iudicibus intimari curauit, in graue & non tolerandum Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis & libertatis præiudicium, totiuſque patriæ & ſubditorum damnum & intereſſe.

Siquidem, per eas antiquiſſima illa & laudabilis Eccleſiæ Leodienſis, quam in res & perſonas hactenus habuit & habet, Iuriſdictio, ſubtrahitur; in res quidem, quia actionum omnium realium & mixtarum quæ coram Officialibus ſœpiſſimè erãt, cognitio eis adimitur, & in laicos inferioreſque ac ruſticos & Imperitos Iudices transfertur, coram quibus vix ſemel tertio menſe & non niſi ad nutum Domini temporalis litigatur.

Quibus etiam non leue præiudicium Sedi Apoſtolicæ infertur, ad quam cum ab Officiali Leodienſi appellatur, ſi Officialis Iuriſdictio tam notabiliter minuatur, nullæ erunt Pontificis partes in eis cauſis quæ ab Officialis cognitione ſubtractæ coram Laicis agitabuntur.

In perſonas verò, quia vix aliquis Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ relinquitur: non laici, quia ipſi his ordinationibus ab omni Iuriſ-

dictione, & coërcione Ecclesiastica subducuntur, vix etiam vlli Clerici, quia eisdem ordinationibus, qui nec beneficium obtinẽt, nec Ecclesiæ seruiunt, cum laicis censentur, & priuilegij Clericalis prærogatiua spoliati, Iurisdictioni seculari permittuntur. at qui beneficium habẽt, vel Ecclesiæ seruiunt, ij ferè omnes priuilegijs Apostolicis ab omni Iurisdictione ordinaria sunt exempti, adeo vt tam ampla, tam insignis Ecclesiæ Iurisdictio ad paucos Pastores & Beneficiatos rurales restringatur.

Quæ cum in euidentem Ecclesiæ oppressionem vergant, Procurator & eo nomine Cleri Leodiensis, ab ea prætensarum reformationum confirmatione, publicatione, intimatione, & grauaminibus earum occasione sibi, Ecclesiæ suæ & patriæ illatis & inferendis, ad Sanctissimum Dominum nostrum Paulum Papam Quintum, & Sanctam Sedem Apostolicam prouocat, & appellat.

Grauamina Syndici Consulum Iuratorum & Concilij Ciuitatis Leodiensis ad Cæsaream suam Maiestatem.

Coram te Notario Imperiali Immatriculato, & testibus ad-
6. stantibus, animo & intentione prouocandi & appellandi, seu alias omni meliori modo recurrendi, seu reclamandi Suam Cæsaream Maiestatem siue Consistorium Imperij, ac alios quoscumque Superiores, Syndicus spectabilium Dominorum Consulum, Iuratorum, & Concilij Ciuitatis Leodiensis, nomine & interesse publico exponit,

Primò, quod statuta reformationum Iustitiæ in Leodiensi ditione erigi debent cum consensu trium Ordinum eiusdem ditionis, ad quos etiam spectat eorundem moderatio, & interpretatio, quando de ipsis moderandis agitur, vti cautum est pace Vigintiduumvirali.

Secundò, quod hoc ipsum similiter prouisum est iuris cõmunis dispositione, quo iure in statutis reformationũ condendis debet interuenire consensus populi, quem quidem populum, siue vniuersitatem

uersitatem populi Ciuitatis & Incolarum ditionis Leodiensis referunt ipsi tres Ordines, & patriæ Status.

Tertiò, quod statuta reformationum, edita & publicata in hac Ciuitate, anno millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo, die vigesima sexta Iunij, fuere citra, & præter consensum tertij Status popularis, & Cleri.

Quartò, quod in dictis Reformationibus sunt multa statuta, contra ius & priuilegia Ciuitatis Leodiensis & popularis Magistratus eiusdem, & Oppidorum tam patriæ Leodiensis, quam Comitatus Lossensis contraque auctoritatem & Iurisdictionem Serenissimi Episcopi Principis Leodien.

Quintò, quod anno millesimo, Sexcentesimo tertio, die vigesima tertia Iulij, Cæsarea Maiestas ad suggestionem Equestris Ordinis dicitur præmemoratas Reformationes confirmasse, sub & obreptitiè, ex quo in diplomate dicitur illas esse editas de consensu omnium Ordinum, quod est à vero alienum, vt patet ex oculari inspectione.

Sextò, quod diploma prædictum, fuit ad instantiam Equestris Ordinis, promulgatum, & insinuatum in hac Ciuitate per N. sub die decima quarta Mensis Ianuarij anno millesimo, sexentesimo nono, nulliter quidem, ac contra mores & obseruationẽ Imperij.

Nouissimè, quod prædictis, & alijs consideratis, Ciuitas Leodiensis, & Status popularis, per reformationes prædictas, & illam, Confirmationem sunt multifariam grauati, & inposterurum; si in obseruantiam exirent, magis atque magis grauari pertimescunt, Ideoque præfatus Syndicus ab illis coniunctim, & diuisim reclamauit Cæsaream Maiestatem melius informandam, siue Cõsistorium Imperij, ac alios quoscumque Superiores, conquerendo, recurrendo, appellando, prouocando de nullitate, attentatis, sub & obreptione earundem, dicendo, reseruandoque Ciuitati prædictæ, omnia alia iura, & beneficia, quæ ei magis suffragari possunt, suis loco & tempore, opportunè cõmemoranda.

Sequitur attestatio eorundem Cônsulum & Concilij Ciuitatis Leodien. quoad Iurisdictionem ordinariam Serenissimo Episcopo Principi Leodien. eiusve Officiali competentem de data 22. Martij 1597.

Nous les Bourguemaistres Iurez & Conseil de la Cité de
7. Liege à tous ceux qui ces presentes verront & oront, Salut. Sçauoir faisons que de la parte de noble & genereuse Dame Madame Iehenne d'Antel Dame Desseneux, sommes estez requis luy donner & impartir noz lettres certificatoires & testimoniales sur les points & faicts soubescripts, & ayant sur le tout pris bonne & pertinente information tant par visitation de noz registres aux priuileges, statuts & paix faictes de ceste dicte Cité, villes & pays, comme par tesmoignage de viue voix & autrement, certifions & attestons par celdictes presentes que venerable Seigneur Mõsieur Maistre Henri Doern est Chanoine de la grande & Cathedrale Eglise de cestedicte Cité, ayant par feu de bõne & loüable memoire Reuerendissime & Illustissime Prince & Seigneur Monsieur Gerard de Grooesbeeck Euesque de Liege & Cardinal du sainct Siege Apostolique, esté commis & estably Official de sa Cour, ayant exercé ledict office iusques à la mort du iadis Seigneur Cardinal, & continué en iceluy par S. Alteze Serenissime Monsieur nostre Prince moderne, exerceant iournellement ledit estat, à raison duquel ledit Seigneur Official est Iuge ordinair aux parties ce requerantes, administrant Iustice & prononçant sentẽces diffinitiues & interlocutoirs, tant és causes spirituelles, ciuiles, personelles & reeles, que entre personnes seculiers indifferemment representant en matiere de iudicature tant spirituelle, ciuile que criminelle le Prince de Liege, & exerceant par tout ledict pays & Cité indifferemment l'office de Iuge si que c'est chose plus que notoire à tous & vn chacun ne pouuãt bonnement de ce pretendre aucune ignorance soubs quelque pretexte que ce soit, laquelle iudicature & office de Iuge ordinair a esté

a esté de si long temps obserué & pour tel reputé, qu'il n'y a memoire d'homme au contraire, sans aucune opposition, & afin qu'au premis soit foy adioustée, si auons nous lesdits Bourguemaistres, Iurez & Conseils susdits fait à ces presentes impresser le seel aux causes de cestedicte Cité soubz la signature de souuerain Greffier d'icelle ce xxij de Mars 1527.

Neque tantum productæ fuêre tùm temporis id est ante 40. & amplius annos prædictæ attestationes & grauamina, verum etiam elogia super dicto iurisdictionis puncto præcipuorum seniorum Aduocatorum, & Procuratorum Curiæ Leodiensis, qui vno omnes ore attestati sunt, Officiali Leodiensi competere, prædictam Iurisdictionem, idque à tempore hominum memoriam excedente.

Quibus omnibus grauaminibus, tam pro parte duorum Ordinum interpositis ad S. Sedem, & sacram Cæsaream suam Maiestatem, quam etiam attestationibus suprascriptis, & maturo iudicio in supremo nedum S. D. N. sed etiam Cæsareæ suæ Maiestatis consistorio Spirensi, ijsque vtrobique examinatis, & expensis, coacti sunt desistere Nobiles qui per subreptionem obtinuerant 8.
prætensarũ Reformationũ à Cæsare confirmationẽ, prout ab eo tempore ijs vsi non sunt, neque possunt, stãte eiusmodi vtriusque Cleri & Consulum Ciuitatis Leodiensis ad superiores recursu & appellatione, neque enim rescriptũ valet, per quod Princeps con- 9.
firmat aliqua statuta & reformationes sine causæ cognitione non vocatis ijs quorum interest *Cynus in l. ex verbis C. de donat. inter virum & vxorem l. de vnoquóque ff. de Re. iud. Innoc. cap. 2. de locato Rom. Conf. 218. in fi. Bart in l. ambitiosa ff. de Decret. ab ord. facien. bald. in l. nulli C. de sent. & inter loc. om. iud.*

Quinimò, ne quidem Rex supremus Galliæ solet leges & sta- 10.
tuta constituere sine consensu trium statuum *teste Rebuffo ad constit. reg. tract. de cessionibus art.* 1. *glo.* 30. *fol.* 455. Chassan. *ad consuet. Burg. tit. des droicts appartenants Rub.* 4. *nu.* 58. *pag.* 669.

 Ideòque

Ideòque nullo modo subsistere potuerunt & possunt tales refor-
11. mationes ab vno tantum Statu præsertim seculari, ordinatæ. Vnde nunquam fuerunt obseruatæ & in praxim deductæ: Reformatio autem non obseruata non ligat *Alex. Consil. 39. lib. 2. & consil.*
12. *78. nu. 7. vel. 6.* Imò, ad tollendum vires statuti aut legis humanæ non receptæ, sufficiunt decem anni, *Card. & Imo. de Treuga. Nauar. Consil.* 18. *nu.* 2. *de statu Monachor.* excesserunt autem anni quadraginta & amplius, vt notum est. vt taceam statuta illa lai-
13. corum, Clericis seu eorum foro præiudicare non posse. *Auth. Cassa. C. de sacrosanct. Eccles. cap. Ecclesia S. Mariade, Constit.*

CAP. XX.

An Imperator, aut Reges Francorum liberè donando Ecclesiæ Leodiensi potuerint, vel voluerint abdicare à se omnem Superioritatem, illamque in Ecclesiam transferre, ita vt ad Superiores Ecclesiasticos vel Sedem Apostolicam propterea deuoluantur Appellationes?

SVMMARIVM.

1. *Imperator liberè donando Ecclesiæ Leodien. abdicauit à se omnem Superioritatem, & illam in Ecclesiam transtulit.*
2. *Res donata Ecclesiæ fit Ecclesiastica.*
3. *Donatio facta ab Imperatore in illius præiudicium latissimè est interpretanda.*
4. *Secus si sit facta Laicis.*
5. *Diuersa sunt habere Iurisdictionem iure proprio vigore reseruationis, & iure præscriptionis.*
6. *Iurisdictio consuetudine acquiri potest etiam à non donatore:*
7. *Consuetudo antiquissima habet vim priuilegij, & quidem priuatiuè concessi.*

8. *Libertas*

8. *Libertas & exemptio à Iudicibus laicis omni meliori modo data Ecclesiæ præsumitur, & quidem priuatiuè.*
9. *Episcopus Princeps Leodiensis est inuestitus de Regali feudo Leodiensi.*
10. *Concessio feudi Regalis censetur facta priuatiuè, non cumulatiuè, maximè vbi Iurisdictio est annexa feudo.*

PRo affirmatiua concludit ex communi Doctorum opinione Farinacius Iurisconsultus nostri æui præstantissimus *lib. 3. Consil. criminal. Consil. 198. nu 6.* istiusque sententiæ laudat quàm plurimos auctores veluti Glos. *in c. solita, in ver. suscipiunt. de maiorit. & obedient. & in c. 2. in fin. de delictis puerorum*, Innocent. *in dicto cap. solita, in verb. temporalibus & in cap. verum, sub nu. 2. de for. competen. ibi, si autem Baroniæ non conceduntur in feudum, & infra ibi, sed nos contra credimus, &c.* Specul. *de Appellat. sub rubr. ad quem sit appellandum nu. 22. versic. illud dicitur, &c.* Archidiac. *in capit. Romana §. debet, de appellat. in sexto, & in cap. si qua. 8. bis ità x. quæst. 1.* relatum à Ioan. And. *in addit. ad Specul de Iurisd. omn. iud. n. 16. in vers. pastoralis.* Oldrad. quem refert idem Ioan. Andr. *ibidem & Cons. 83. sub nu. 7.* Hostiens. *in capit. nimis in ver. ab eis, de Iureiur. & in summa in tit. de appell. §. à quo, & ad quem vers. sed pone, &c. & in d. cap. verum, ibi, sin autem dicta Barronia, & c. de cap. solita nu. 4. & 5.* Ioan. Andr. *in dicto cap. solita, in prima columna in fin.* dum exponit tẽporalia, idest feudalia. Et melius in dicto cap. verùm, *ibi, sin autem dicta Barronia prædicta, &c.* Vbi etiã dicit, quod cùm Dominiũ sit Ecclesię quæsitũ, sanctum Sanctorum est Domino, & in d. cap. nimis, dicit, quod si subsunt personæ, fortius & res, & loquitur de bonis donatis Ecclesiæ. Henric. Boic. *in dicto cap. verùm, Collect. ibidem, nu. 3.* Ioan. Monach. *in dicto cap. Romana. §. debet nu. 14. in verb. temporalẽ de appellat. in 6.* Andr. de Isern. *id cap. 1. nu. 7. qualiter vasallus fidelit. iur. deb. & in constit. Regni lib. 1. tit. de offici. instit. vers. de feudis* 1.

Bart.

Bart. *in 1. 1 §. item si quis n. 4. de appellat.* Ant. de Butr. *ibidem nu. 24.* vbi glossa determinat. quod appellandum est ad Archiepiscopum *& in d. cap. verùm. n. 11. & in cap. 2. de delictis puerorum* Bellamer. *in dicto capitulo solitæ, numero. 10. & in dicto capit. verùm numer. 6. versicul tertio quæritur, &c. Cardin. in d cap. solitæ sub numero 7. vers. quæro. circà 12 notab. Imol. ibidem nu. 15.* Abb. *numero tertio & in cap. veniens numero 4. de accusat.* Aretin. *in d. cap. veniens.* Socin. *ibidem. & in d. cap. verùm* Barbat *in dicto cap. verùm nu. 69. & sequent.* Felin. *in dicto cap. solitæ & in cap. Cæterum numer 21. de Iudic.* Anchar. *in dicto capitulo Romanæ numero 4. versic. 14 nota. &c. de appellat. in 6. & in dicto Capitulo verùm nu. 8. versiculo, vero, &c. de foro competen. & in cap. 2. de delictis puerorum* Turrecremata *in cap. si quæ §. his ita 12 quæst. 1.* Geminanus *ibidem & in d. cap. Romanæ §. debet numero 3.* Franc. *in d. §. debet. nu. 2. ibi sed cessante consuetudine, vel priuilegio iuncto ibi, si verò Episcopus haberet Iurisdictionem. &c.* Præpositus *in Rubric. de appellat. nu. 53. vers. sed quid de clericis, & in cap. inuicta. 9. quæst. 3. & in d. capit. si quæ. §. his ita. 11. quæst. 1.* Guiliel. Benedict. *in cap. Raynutius in ver. & vxorem nomine Adelasiam 2. decis. n. 24. de testam.* Ioan. de Vacel. *in breuiario sexti. in d. cap, Romanæ §. debet. Afflict. decis. 361. nu. 22. & ibi vrsill. & in constit. Regni lib. 1. in tit. de offici. Instit. nu 3, versiculo tangit hic Andr. de Isern.* Guido Papæ *decis. 416. nu. 110. & in tract. de appell. nu. 32.* Paris. *Consil. 26. nu. 6. cum sequent libro primò.* Marin. *Frec. de sub feud. lib. 2. cap. 29. auctoritas sub nu. 5. vers. secundo intellige,* &c. Alex. de Nero *in d. cap. verùm. & in dicto cap. nimis nu. 8. vbi testatur de communi.* Bertrand. *Cons. 331. nu. 4. vers. non autem puto, &c. I. landell. Abba. Cons. 62. n. 19. & 29. & Consil. 64. n. 47. vbi dicit magis communem.* Bursat. *Cons. 25. nu. 9. lib. 1. vbi testatur de communi,* Couar. *pract. quæst. cap. 4. nu. 2. vbi etiam de communi.* Mascard. *de Probationibus conclus. 1051. nu 13. vbi magis de cõmuni* Brederod. *de appellat. part. 1. cap. 15. littera E. in ver. ab Episcopo. vers. si appelletur in versic. illud autem*

Didacus Pores *in commentar. legum, Hispaniæ lib. 3. tit. 1. lib. 2, vers. ex quo infertur. Intrigliol de feud. cent. 1. quæst. 43. nu. 62.*

Et non solum ista est magis communis opinio, vt constat ex numero & auctoritate supradictorum Doctorum, sed etiam est verior: quia non videtur posse assignari solida ratio differẽtiæ, cur Imperator non possit, aut non velit abdicare Iurisdictionẽ à se istã supremam, quando liberè donat Ecclesiæ inferiori, sicut quando donat Ecclesiæ Romanæ, prout etiam cõsiderauit Mandell. Alb. *dicto Consil. 62. nu. 15. & 16. & Consil. 64. nu. 83. & sequent.* Nam si consideremus personam donantis, vtraque donatio fit ab Imperatore, in cuius præiudiciũ latissima semper facienda est interpretatio. *l fin. ff. de constit. princip. Roland. Consil. 85. nu. 18. & sequent. libro quarto, Cephal. Consil. 369. nu. 73 & sequent. & in his terminis ita dicebant, Dyn. & Oldrad. relati per Ioan. Andr. in supradicta addit ad specul. de Iurisdict. omn. iud. in dict. ver. Pastoralis.* At secus est in donatione facta laicis: quia tum non censetur Imperator voluisse à se abdicare supremam Iurisdictionem, 4.
ne scilicet ipsi remaneant acephali. quæ ratio cessat in donatione facta Ecclesijs, cum illæ subsint superioribus suis Ecclesiasticis & Sedi Apostolicæ *Felij in cap. cum non lateat. de Præscriptio Mandell. cons. 62 nu. 10. in fi. & nu. 11. & 12.*

Hactenus auctores recensiti per eximiæ doctrinæ Iurisconsultum Farinacium pro confirmatione communis opinionis affirmatiuæ, nimirum per donationem seu liberam concessionem factam Ecclesiæ per Imperatorem, abdicatam censeri ab Imperio omnem superioritatem, sic quod appellationes à Iudice Ecclesiastico in causis ciuilibus, & merè profanis, inter profanos, veniat gradatim ad Ecclesiasticos Iudices, & non seculares, quales sunt Consistorij Spirensis Iudices, appellandum. id quod alijs argumentis confirmat, dum respondet nonnullorum obiectionibus, qui vt pauciores sunt numero, ita rationes ipsorũ non magno nituntur fundamento. Nam ad Ioannem And. *in addit. ad specul.*

tit de Iurisd. om iud. verb. Pastoralis, scribentem textum in cap. Romana de appell. in 6. (qui statuit quod per consuetudinem possit induci, vt in causis bonorum temporalium Ecclesiæ possit appellari ad Imperatorem) aduersari prædictæ affirmatiuæ opinioni, ex quo Papa ibi præsupponat superioritatem Imperatoris, quia alias talis consuetudo non valeret, *cap. 2, de consuet. in 6*, respondet: Si Imperator sibi reseruasset superioritatem, vt ibi tenet Ioannes And. appellationes ad eum deuoluerentur ratione huius superioritatis sibi reseruatæ, nec indigeret ea consuetudine, de qua ibi
5. loquitur Papa, sicut illa non indiget in feudalibus. Sunt ergò hæc diuersa, habere superioritatem iure proprio vigore reseruationis, & illam habere ex consuetudine: quia quando habetur vigore reseruationis, competit saltem ex tunc, scilicet à die donationis & reseruationis; quando verò competit vigore consuetudinis præscriptæ, (vti nunc exemptio competit Leodiensibus, vt posteà probabitur) competit vt ex nunc, nempè post completam præscriptionem dictę consuetudinis, per quam Iurisdictio à quolibet
6. etiam non donatore acquiri potest, *cap. cum cõtingat ad fi. ibi Henr. Boic. nu. 7. vers. aut secundo modo & ibi DD. de foro cõpet. Ias. in l. mero nu. 43 ff. de Iurisd. om. iud. & in l. Imperium nu. 20. & ibi Bald. nu. 10. d. tit. Balb. de præscript. in 2. part. 5. part. princip. q. 3. nu. 1.* estque
7. instar priuilegij antiquissima illa consuetudo, quia vetustas vicem legis seu priuilegij cõstituti obtinet, vulgata *l. 1. §. fin ff. de aqua plu.*
8. *arc.* præsertim fauore Ecclesiæ: libertas enim hæc & exemptio à laicis Iudicibus omni meliori modo & iure data Ecclesiæ præsumitur *Cenallos tract. de vi & vi arm. in Proëm. cap. 10. nu. 30. &* 26. & quidem priuatiuè, prout illa quæ acquiritur præscriptione *Gratianus disceptatio. foren. tom. 1. c. 154. nu. 35. & seq. Card. Tus-*
9. *chus tom. 4. Conclus. 556. nu. 16.* maximè quod Episcopus Princeps Leodien. sit inuestitus de Regali feudo Leodiensi & quidem exigente iustitia, vt patet ex Reliuio & inuestitura Adolphi Imp. supra cap. xvij. *Tho. Grammat. decis. 30. nu. 11 Menoch. lib. 2. præsumpt.*
18. nu.

18. nu. 1. & seqq. & communem testatur Hart. *Pistor. quæst. 45. nu. 14. part. 2.* Nam vbi quis est inuestitus de feudo Regali, & talis 10.
concessio facta est simpliciter, vt in dicta inuestitura, talis concessio non cumulatiuè, sed priuatiuè facta censetur, vt docent præcitati, & posteà proprio capite ostendemus. quod multo magis procedit, quando Cæsar, vel Princeps concessit iurisdictionem, quæ est annexa feudo: tum enim censetur concessa priuatiuè & non accumulatiuè *Bald. in l. 1. q. 43. ff. de Ner. diuis. Mart. lauden. tract. de Principe 1. part. q. 138. abb. in c. Cæterum, vers. Fateor tamen de Iudic. & ibi Feliȷ nu. 12. & in c. Pastoralis nu. 5. de Off. ord. Menoch. lib. 2. præsump 18. nu. 5. conferunt quæ infra scripsimus c. 28.*

CAP. XXI.

An per Clausulam in Reliuijs & concessione Regaliorum Episcopo Leodiensi præinsertam *Nostris tamen & Imperij iuribus, auctoritate & superioritate semper saluis*, Iurisdictio retenta censeatur, sic vt sit appellandum ad Cæsarem, eiusve Cameram?

SUMMARIUM.

1. PEr *clausulam* Nostris & Imperij iuribus auctoritate & superioritate semper saluis, *Jurisdictio non censetur reseruata.*
2. *Regaliorum appellatione venit Iurisdictio.*
3. *In Regalibus datis Episcopo Leodien. concessa est Iurisdictio temporalis.*
4. *Dicta clausula* Nostris tamen, *&c. videtur tantum pertinere ad fidelitatis iuramentum.*
5. *Ecclesiastici ratione feudorum sibi à laicis concessorum, tenentur præstare fidelitatis iuramentum.*

6. *Fœmina ratione feudi præstant fidelitatis iuramentum,*

7. *Clausula* Nostris & Impeiij Iuribus, *&c. præseruat tantum Domino Dominium directum.*

8. *Reseruatio vtilis Dominij & superioritatis semper inesse censetur in quacumque concessione.*

9. *Per clausulam* Nostris & Imperij iuribus, *&c. non censetur infeudata Iurisdictio.*

10. *Clausula* Saluo iure, *&c. refertur tantum, ad quid certum & determinatum.*

11. *Clausula* saluo iure *nunquam refertur ad ea quæ specialiter continentur.*

12. *Fidelitatis & homagij exhibitio nihil vtilitatis affert patrono.*

1. Videtur respondendum pro negatiua. Nam frustra Regalia concederentur, nisi vnà & Iurisdictio transferatur. Rega-
liorũ enim appellatione venit Iurisdictio, *Rolandus à valle Conf. 1.*
2. *nu.*115. Imò cõcessione Regaliorũ facta Leod. Episcopo Roberto
3. Bergis per Ferdinandum II. Imp. anno salutis 1558. expressè inter
„ alia conceditur Iurisdictio temporalis his verbis · Omnia & sin-
„ gula ipsius Episcopi Leodiensis & Ecclesiæ suæ & Comitatus
„ Lossensis Regalia feuda, cùm mero & mixto Imperio, etiam Iu-
„ risdictionis exercitio temporalis, Iuribus, honoribus, consuetudi-
„ nibus, obseruantijs, quemadmodum prædecessores Episcopi Leo-
„ dienses & Comites Lossenses illam obtinuerunt, possederunt, &
„ exercuerunt, contulimus, dedimus & in feudum assignauimus, ac
„ ipsum Episcopum de illis inuestimus, nostris tamen, &c. & impe-
„ rij sacri iuribus auctoritate & superioritate præmissis semper
„ saluis. Datum anno Domini 1558. die 28. Ianuarij. Atque ita semper loquuntur priuilegia & confirmationes aliorum Imperatorum quoad Regalia, & exercitium Iurisdictionis, quod à plurimis retro seculis competit Episcopo Principi Leodiensi. Cœterùm, clausula illa videtur potius pertinere ad homagium, vel fidelita-
tis

tis Iuramentum, quod solet Episcopus quà Princeps Leodiensis & multorum Feudorum Dominus,& possessor pręstare Imperatori, quam ad Dominum directum *Oldrad. Cons. 159. nu. 6. Ruin. Cons. 36. nu. 9, vers. non obstat etiam lib. Iocob. de S. Georg. in Inuest. feud. vers. Inuestim. Roland. Cons. 1. nu. 68. lib. 40. Card. Mantica de Tacit. & ambig. conuent. lib. 23. tit. 7. na. 6.* Nec interim absurdum Ecclesiasticas personas ratione feudorum sibi à Laicis concessorum teneri tale præstare vel homagium (ità dictum, quod feudatarius tenetur promittere se esse hominem Domini directi) vel fidelitatis Iusiurandum: cum & foro, vt videmus, in causis feudalibus subijciantur laico seu profano *c. ex transmissa cap. verùm de foro com. DD. in c. si Episcopus dist. 18. & ad c. Cęterum, de Iudic. & ad cap. grauem de excess. Prelat. Stephanus Aufrer. de potest. secul. in Ecclesiasticos Reg. 2. limit.* 1. adeò, vt coram alio Iudice, eiusmodi causa non possit prorogari *Garsias Mastrill. decis. 83. nu. 11.* Exemplum istius Iurisiurandi habemus in cap. vnico §. verùm *de statu Regul. in 6.* vbi Abbatissa, vel Priorissa personaliter comparere debuit extra Monasterium suum, coram Principe Laico, vel alijs Dominis temporalibus inferioribus, atque id quidem non sine verecundia sui tum sexus, tum instituti Monastici, præstitura iuramentum fidelitatis & homagium: cuiusmodi præstatione toties est opus, quotiescumque persona quæ tali feudo fruitur Ecclesiæ nomine, noua præficitur, quemadmodum iure feudorum communi fit in qualibet noui vasalli seu clientis persona. Licet enim dignitas Ecclesiastica nunquam dicatur mori vel deficere, quantumuis his personæ præfectæ moriantur, nihilominus tamen postulat æquitas, vt Dominis feudorum directis, hoc homagij debitum seu officium cum similibus inde dependentibus haud secus præstandũ sit, quam si feudum non esset Ecclesiæ, vel Ecclesiastico cuipiam corpori datum concessumve, sed priuato cuiuis, *Boet. Epo. de Regal. nu. 95.* Sed vt redeam vnde digressus sum, dicta clausula *Nostris tamen, &c.* reseruat tantùm

4. 5. 6. 7.

Domino Dominiũ vtile *Zasius de feud. part. 9. Martha de clausulis*
8. *part. 2. clausꝰ. 68.* Licet reseruatio vtilis Dominij & superioritatis, semper inesse censeatur in quacũque concessione *Martha. d part. 2. clausꝰ. 65. Oldrat. consil. 159. nu. 6. & 19. Afflict. decisꝰ. 384.* Sed non est casus noster, qui in eo cõsistit, an nimirum per clausulam
9. *Nostris & Imperij iuribus auctoritate & superioritate semper saluis* retenta videatur iurisdictio, sic vt infeudata censeatur? & pro negatiua, vltra rationes præscriptas, valdè facit doctrina Menochij lib. *3.* Præsumpt. *c. 91. nu.* 11.

Denique, dicta clausula non potest nocere Episcopo Principi Leodien. per doctrinã Moderni Parisiensis, *ad Consuet. Parisꝰ. tit. 1. §. 44. nu. 27.* vbi scribit, si clausula *Saluo iure, &c.* refertur ad certum quid reseruatum, tunc operatur conseruationem iuris reseruati, vt inquit Bald. *consꝰ. 96 l. 1.* si verò sit vaga, & non refertur ad aliquid certum & determinatum, vt in nostro casu, tunc nihil omninò operatur; tum quia generalis clausula non derogat dispositioni præcedenti, nec refertur ad ea de quibus specialiter est dispositum *l. doli clausula, de verb. obligat. l. cohæredi §. qui partem ff. de Vulg. & pupill. substit.* tum quia propriè illa generalis clausula refertur ad excludenda ea de quibus in dispositione præcedenti non fuit actum, nec cogitatum *Zasꝰ. in Epito. feud.*
11. *part. 6. versꝰ. Ista tamen verba. Moder. Parisꝰ. d. tit. 1. §. 30. nu. 119.* vbi scribit dictam clausulam nunquam referri ad ea quæ specialiter seu expressè continentur in dispositione. Ergo minimè referetur ad Iurisdictionem temporalem specialiter per Cæsarem concessam Roberto à Bergis, Episcopo Principi Leodiensi, vt in prædicta Inuestitura & alijs habetur.

12. Minus etiam obstat fidelitatis & homagij iuramentum: quia vt scribit idem modernus Parisiensis *tit. 1. glo 2. §. 3. nu. 1.* fidelitatis exhibitio, magis est accepti beneficij agnitio, & gratiarum actio, quam onus vel grauamen, & magis fit ad ingratitudinem vitandam, quam ad vtilitatem patrono afferendam,

Adstrui-

CAP. XXII.

Adstruitur rursum Iurisdictio Ecclesiastica in causis profanis & inter merè profanos, nonobstante quod bona Ecclesiæ donata processerint à laicis.

SVMMARIVM.

1. *Imperatores & Principes in donatione facta Ecclesia Leodien. censentur supremam Iurisdictionem donasse.*
2. *Donato territorio censetur donata Iurisdictio.*
3. *Res temporales donatæ Ecclesię, censentur Ecclesiasticę.*
4. *Iurisdictio translata in Ecclesiasticos, fit Ecclesiastica.*
5. *Bona liberè Ecclesiæ donata sequuntur naturam illius, subsuntque Superioribus Ecclesiasticis.*
6. *Quę semel Ecclesię sunt oblata, perpetuò censentur alienata in Dominium & proprietatem Ecclesię.*
7. *Quando bona translata sunt in Ecclesiam, tunc ab Episcopo appellatur ad Archiepiscopum.*
8. *Rex aut Baro donans Ecclesię Baroniam, non tenetur Ecclesia ad tributa ad quę prius tenebatur.*
9. *In dubio pręsumendum est bona Ecclesię concessa esse purè, simpliciter, & pleno iurè.*
10. *Caussæ profanæ mutant naturam, cum coram Ecclesiasticis intentantur.*
11. *Iudex secularis non potest se immiscere caussæ cui Ecclesiasticus se immiscuit.*
12. *Bona Ecclesię Leodiensis non tam processerunt à Principibus laicis, quàm Episcopis & Canonicis filijs Regum & Principum.*
13. *Exemplis ostenditur pleraque omnia bona Ecclesię Leodien. processisse ab Episcopis.*

Animad-

1. ANimaduerto multos hallucinari, dum existimant quòd secularium bona Ecclesiæ donata sint, sortiri idcircò donatarios Ecclesiasticos forum seculare, vti supra ex quorundam opinione ostensum est. Nam respondeo, Imperatores & Principes in donatione facta Ecclesiæ Leodiensi, censeri etiam supremam Iurisdictionem concessisse: quia Ecclesia quæ est donataria, non est subdita donatori, *Card. Tuschus conclus. 69. nu. 19. DD. in c. solitæ de Maior. & obed.* vnde fit, vt per talem donationem bonorum, etiam superioritas & Iurisdictio translata censeatur, *Petra. de Iure quæsito non toll. cap. 22. nu. 90. Afflict. decis. 361. nu. 22.* Nam quemadmodum prædia donata à Principibus, aut alijs propria habere & retinere possunt, ita & Iurisdictionem: quæ cum prædiorum donatione in eum cui donata sunt, transfertur, *Anast.*
2. *Germon. de Sacror. immunit cap. 13. in fine.* Territorijs namque & possessionibus munificentiâ Imperatorum donatis, ipsa etiam Iurisdictio & Imperium, sine quibus territoria commodè conseruari & administrari nequeunt, vnâ donata censentur, nisi de exemptione expresse constet *l. 2. ff. de Iurisd.* Ideoque Episcopo in sua Diocesi idem ius competit, atque Principi in suo territorio, *Math. Stephan. ad tit. 4. Cod. nu. 9. & 10.*

3. Secundò, respondeo res temporales in Ecclesiâ translatas, fieri Ecclesiasticas, vtpote quòd mutant statũ, *Pet. à Monte in Monarch. Concil. quæst. 4. nu. 4. & seqq. Ocea. 2. Nauar. cap. nouit. not. 3. nu.*
4. *123. de Iudic. fol. 108* vbi Iurisdictio laica translata in Ecclesiasticos fit Ecclesiastica. *Felij c. licet 10, nu 1. in fi. de foro comp. fol. 37. & in terminis in c. Solitę nu. 4. de Maior. & obed.* Mutant inquam statum, & sequuntur naturam & conditionem eius, cui donantur, *cap. 1. de Immunitate Ecclesiæ in 6. vbi DD. & in cap. dilecti, de*
5. *donatio.* Indè fit, vt bona liberè donata Ecclesiæ, etiam inferiori sequatur conditionem illius, subesseque debeat superioribus Ec-
6. clesiasticis, *d. c. 1. DD. in c. Ecclesię S. Mariæ nu. 77. de Constit.* quæ enim semel oblata sunt Ecclesiæ, perpetuò censentur translata in

Dominium

Dominium & proprietatem Ecclesiæ, dicunturque iam Deo dicata & sanctificata, *Stephanus Bertrandi in suo tract. Altercat, &c. articulo 15. fol. 27.* Vnde, si priuatus donat vel legat, aut aliter transfert bona in Ecclesiam, etiam inferiorem, illa omninò eximitur à Iurisdictione Imperatoris vel alterius Principis secularis *d. c. 1. de Immunit Eccles. DD. in d. c. Ecclesia S. Mariæ Purpur. Cons. 324. nu. 2.* & ab hac sententia stat Felij, *in cap. solita de Maior. & obed. nu. 4.* vbi dicit quod quando bona sunt translata in Ecclesiam, quod tunc ab Episcopo iudicante appelletur ad Archiepiscopum, & 7. non ad Iudicem secularem. Ita Rex, aut Baro, donans Ecclesiæ Baroniam, aut Dominium, illa non tenetur ad tributa, ad quæ 8. prius tenebatur, quia mutarunt statum, *Innoc. in cap. verùm de foro comp. Ang. in fin. C de Reuoc. donat. Iacob. de S. Georgio de feudis verb. In feudum nu. 33.* Idque nisi in donatione aliud caueatur, *Angel. l. caueri ff. Commun. præd.* In dubio tamen præsumendum est bona 9. Ecclesiæ concessa esse purè, simpliciter, & pleno iure; nulla etiam Concedenti recognitione reseruata *Eras. à Chokier frater meus, tract. de Iuris. ord. in exempt. tom. 1. part. 5. quæst. 85. sub fi. D. Wames. cons. 174. nu. 7. de appellat.* Si ergò bona in Ecclesiam translata mutant naturam, vt diximus, & probat Abb. *in cap. porrò de priuileg. Erasmi à Chokier de exempt. part. 4. cap. 46.* multò magis causæ 10. quæ sui naturâ & origine sunt ciuiles & profanæ, exceptis feudalibus, fiunt Ecclesiasticæ, quando coram Ecclesiastico intentantur *D. Wamesius Antecessor Louanien. eruditissimus cons. 67. de Iudic.* adeò vt imposterum semper per solum Ecclesiasticum Iudicem sint cognoscendæ in quacumque instantia: atque ita ab inferiore ad superiorem, id est Ecclesiasticum, secundum naturam appellationum, sunt deferendæ, non etiam ad aliquem secularem qui quantumuis maximus sit quocumque Iudice Ecclesiastico inferior censetur *c. solita de maior & obed. c. vt nostrum ibi D. D. de Appellat.* & causæ cui Ecclesiasticus sese immiscuit, manum apponere non potest *d. c. vt nostrũ c. Stratatum de Rescript. in 6. Wames.*

O cons.

conſ. 175. *nu.* 10. *de Judic.* ſubijcitque, quod quia Eccleſiaſtici ex
11. opinione Baldi *col. de eo qui cur. ven. in vſibus feud.* poſſunt habere ſibi ſuppoſitum aliquod tribunal inferius, ſeu territorium; ac Iuriſdictionem bonorum ſuorum ratione quorum adhærere ſolet Iuriſdictio, vt ſunt apud nos cauſæ Tenantium, ſi appellatum fuerit à ſententijs eiuſmodi tribunalis merè laici ad ipſos Dominos Eccleſiaſticos, qui poſtea grauent, non appellabitur ad ſuperiores eorundem temporales, ſed Eccleſiaſticos etiam illo caſu, quo bona illa tenerentur à Principibus Laicis, vt tradit Speculator *tit: de appellat.* §. *nunc tractemus.* ex eo quod per tranſlationem à foro laico ad Eccleſiaſticum territorij laici, & temporalis, auctoritatem cenſeatur euaſiſſe.

Cæterùm, quod ante diximus nonnullos inferre, bonorum Ec-
12. cleſiæ Leodienſis donatione, cenſeri reſeruatam fuiſſe Iuriſdictionem, illud per prædicta ſatis ſuperque refutatum eſt. Sed intelligant æmuli Leodienſium bona iſta, quibus Eccleſiam Leodienſem, ægris admodum oculis frui conſpiciunt, non tam proceſſiſſe (paucis exceptis) à Principibus Laicis, quam ipſis Epiſcopis & Canonicis Regum & Principum filijs, & alijs quorum aliqui, faſtu ſeculi neglecto, monaſticam vitam amplexati, alij verò infulis Epiſcopalibus donati ſunt, vti videmus in B. Remaclo Stabulenſium Archimandrita. B. Trudone nobili Francorum Principum & Auſtraſiorum Ducum ſtirpe progenito, B. Lamberto ex nobiliſſima huius patriæ familia atque adeò regia prognato, in S. Huberto Aquitaniæ Ducis filio Pipini Regis cognato poſtea Epiſcopo Leodienſi, in Notgero à nobilitate & eruditione celeberrimo, qui diuerſas Canonicorum Eccleſias in ipſa Ciuitate Leodienſi à fundamentis pœnè excitauit, veluti S. Lamberti S. Crucis. S. Ioannis. S. Dioniſij prꝗter parochiales & alias, in Comite Huenſi Aufrido, qui Comitatum ſuum eidem B. Notgero liberè donauit, in alijſque permultis, quorum munificentiâ ad hanc quam videmus amplitudinem Eccleſia Leodienſis peruenit, in

eaque ad vsque in fide Catholica Apostolica Romana pluribus continuatis seculis sub Præsulibus ijsdemque magnis Principibus floruit.

CAP. XXIII.

Respondetur obiectioni nonnullorum, facilem esse reditum vniuscuiusque rei ad suum statum.

SVMMARIVM.

1. IN *dubio iudicandum est pro iurisdictione laica.*
2. *In claris non opus est coniecturis.*
3. *Tempore primitiuæ Ecclesiæ causæ omnes indifferenter tractabantur coram Ecclesiasticis.*
4. *Constantini Constitutio Ecclesiastico foro fauorabilis.*
5. *Appellatio debet interponi ad Superiorem qui habet gradum cum Iudice à quo; alioqui non subsistit.*
6. *Ab Ecclesiastico non appellatur ad laicum.*
7. *In appellatione interponenda qualitas causæ, aut litigatorum non est inspicienda, sed Iudicis à quo.*
8. *Causa profana fit Ecclesiastica vbi ad Iudicium Ecclesiasticum est semel deducta.*

OBijcitur rursum, in dubio potius iudicandum esse pro iurisdictione Laica: quia fauorabilis est recursus cuiusque rei ad pristinum suum statum *l. si vnus* §. *pactus ne peteret. ff. de pactis l. voluntate ff. quib. mod. pig.* Natura autem causarum secularium est, vt coram Iudice seculari tractentur. Respondeo 1. nos versari in claris, nec opus esse coniecturis. Secundo respondeo, iuris illud axioma stare ab assertione nostra; nam si tempore primitiuæ Ecclesiæ, causæ omnes indifferenter tractabantur coram Ecclesiasticis, vt pluribus locis supra notatum est, sequitur recursus ad illos

1\.
2\.
3\.

illos esse fauorabiles. Antecedens probatur, quia tempore primitiuæ Ecclesiæ in causis ciuilibus inter laicos iudicabant Sacerdotes & eorum iudicio stabatur.

Nam Constantinus Imperator lege latâ sanciuit, vt quidquid Episcoporum sententia esset terminatum, pro sancto semper &
4. venerabili haberetur, *l. 1. C. Theodos. de Episcopis & Cler.* Imò constat Theodoricum Regem potestatem fecisse Episcopis ius dicendi in causa propria. Rescriptum illius tale extat ad Petrum, „ Episcopum, apud Cassiadorum *lib. 3. Ep. 37.* In causis alienis bea„ titudinem vestram conuenit adhibere, vt per vos iurgantium „ strepitus conquiescat, quanto magis ad vos remitti debet, quod „ nos spectat auctores. Quin idem Imperator Constantinus potestatem fecit litigatoribus, siue possessoribus, siue petitoribus sacrosanctæ legis Antistitis iudicium eligendi, etiamsi alia pars re„ fragaretur. Multa enim, inquit, quæ iudicio captiosæ præscrip„ tionis vincula non patiuntur, inuestigat, & promit sacrosanctæ „ religionis auctoritas. Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio „ vel ciuili iure tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, per„ petuo stabilitatis iure firmentur, nec liceat vlterius retractare, „ quod Episcoporum sententia deciderit.

Tertiò, & denique respondeo cum Hieronymo Sasseno in sua Assertione Iurisdictionis Ecclesiasticæ, iura illa quæ allegantur pro dicto axiomate, intelligenda esse, quando aliquis actus resoluitur & annullatur, quod tunc quidem pristinæ formæ & statui restituuntur, sed inde non sequitur, quod finita prima Instantia caussæ ciuiles in secunda Instantia coram superiore seculari Iudice tractari debeant, sed potius, si secundum prædictum axioma, omnia in pristinum statum sunt restituenda, tum vel de nouo foret prima Instantia inchoanda, quod esset absurdum, & primum iudicium foret elusorium, vel saltem secunda Instantia instituenda coram superiore seculari Iudice, quod vtique magis esset absurdum.

Nam

Nam appellatio debet interponi ad superiorem qui habet gradum cum eo à quo appellatur, alioqui si interponatur ad alium qui non habet cum eo gradum, appellatio vti ad incompetentem non valebit, *Anchor. in cap. Romana, nu. 6 vers. quaro de quibusdam, de appell. in 6. Ang. Aret. in l. 1. §. si quis in stipulatione nu. 7. de appell. Scaccias de appell. cap.* 8. *nu.* 100. *fol.* 96. 5.

Cum ergò inter Ecclesiasticum & Laicum non sit gradus, & quilibet eorum habeat separatam & diuersam Iurisdictionem, *cap. quoniam idem, dist.* 10. *cap.* Nouit. *verbo non patet. de Iudic.* ab Ecclesiastico non potest appellari ad laicum, *Scaccias d. cap. 8. nu. 100.* 6.

Accedit, quod in appellatione interponenda, inspicienda sit non qualitas causæ, aut litigatorum, sed Iudicis à quo prouocatur. *Wames. c. si duobus §. denique in pr. de appell.* 7.

Vnde, si Iudex Ecclesiasticus semel de causa merè profana, & inter personas merè profanas cognouerit, idque siue remedio ordinario siuè extraordinario, seu alio quocumque modo; talis causa naturam suam mutauit, & ex profana fit Ecclesiastica in quacumque instantia, & ad superiorem Ecclesiasticum interponenda erit, non etiam ad aliquem secularem quantacumque dignitate præditum, qui in hoc, quocumque Ecclesiastico Iudice inferior habetur, *cap. Solitæ de maior. & obed. c. vt nostrum de appellat.*

CAP. XXIIII.

Discutitur sententia Cacherani, quæ stare videtur à Cameralistis: & tandem resoluitur pro Iurisdictione Officialis in causis merè profanis, criminalibus, & mixtis, & inter personas profanas.

SVMMARIVM.

1. *Sententia Cacherani sentientis interponendas esse appellationes à Judicibus Ecclesiasticis in causis merè profanis.*

 2. Maxi-

2. *Maximè vbi Prælati Ecclesiastici habent feuda ab Imperatore.*
3. *Sed illa est admittenda quando Iurisdictio non esset totaliter translata in Ecclesiam.*
4. *Causæ appellationum sunt mixti fori.*
5. *Priuilegia sunt largissimè interpretanda in his quæ respiciunt ius concedentis.*
6. *Concessa Iurisdictione remansit Cæsari ius supremum.*
7. *Episcopus Princeps Leodiensis à multis seculis habet vtramque Iurisdictionem.*
8. *Ecclesiasticus iura sanguinis non exercet.*
9. *Constitutiones Inuictissimorum Cæsarum Maximiliani & Caroli V. de non appellando, &c.*
10. *Ecclesiastica Iurisdictio ampliari, non restringi debet.*

QVi sustinent appellationes interponandas esse à Iudicibus Ecclesiasticis in causis merè profanis, & inter profanas personas intentatis ad Consistorium Spirense, nituntur auctori-
1. tate Præsidis Cacherani *decis. Senatus Pedemontani 30. nu. 6.* vbi scribit quod in terris Imperij aliorumque Principum secularium à sententijs Episcoporum seu eorum Vicariorum in causis temporalibus prolatis, appellari ad Imperatorem, aut ad alium Principem, seu Magistratum secularem, *idque ex Auth. Vt clerici apud proprios Episcopos primùm conueniri, &c. & in Auth. de Sanctiss. Episcopis § si quis contra aliquem Clericum, relato in cap. de persona 11. q. 1. & ex Ioanne Andrea in addit ad specul. tit de Iurisd. om. iud. § 1. verbo Pastoralis vers. ex prædictis concludi potest, quem refert & sequitur Castren. Cons. 126. col. 1. vel 11. quod & probat Iason Consil. 123. vol. 1.* vbi scribit quod à Prælatis recognoscentibus temporalitatem ab Imperatore, debet appellari ad ipsum Imperatorem, qui tacitè sibi reseruasse istam superioritatem intelligitur; nititurque auctoritate præcitati Ioannis And. *in addit, ad specul.*

Quæ

Quæ conclusio, multò magis videtur stringere, vbi Prælatus Ecclesiasticus habet feuda & Regalia ab Imperatore, quo casu censetur ille iudicare vti Princeps, aut Comes per se, *Couar. q. 4. nu. 2. DD. in cap. Cæterum, de Iudicijs, Bald. tit. de feudo. Marchiæ.* 2.

At respondetur, hanc doctrinam esse veram, quando Iurisdictio non esset totaliter translata in Ecclesiam, adeò vt pro illa recognosceret superiorem temporalem. *Scaccias tract. de appellat. quæst. 8. art. 3. n. 90. & 91.* Atqui, certum est Imperatores trãstulisse Episcopo Leodiensi, vt constat ex suprascripta Inuestitura & Reliuio factis per Guidonem Episcopum Leodiensem *anno Christi 1294.* alijsque non paucis, iurisdictionem plenariam. 3.

Secundò, ex alijs Reliuijs etiam patet, merum & mixtum Imperium concessum ijsdem Episcopis Leodiensibus; atqui causæ appellationum sunt mixti Imperij *teste Bart. in l. 1. §. solent ff. quando appell. sit, Bald. in Rub. ex de eff. deleg. & in tit. de pace constan. verb. secundum mores & l. vos in pr. & in l. cum post C de appell. Jas. Consil. 123. in fi. vol. 1.* & priuilegia sunt largissime interpretanda in his quæ respiciunt ius concedentis *l. fin. ff. de Constit. princip. Io. And. in addit. ad specul. tit. de iurisd. om. iud. nu. 18.* 4. 5.

Itaque, concessa Iurisdictione & mero ac mixto Imperio Episcopo Principi Leodiensi, remansit Imperatori supremum culmen Imperiale, & potestas indicendi in certis rerum euentibus tributa, aliaque similia præeminentiæ iura, vt supra ostendimus cap. XVII. Tertio, doctrina Cacherani locum habet vbi in Principe Episcopo distinctæ non sunt Iurisdictiones, quod in Episcopo Leodiensi non reperitur, qui à multis seculis vtramque habuit Iurisdictionem & Ecclesiasticam & temporalem; Ecclesiasticam iure tam diuino, quatenus Ecclesiam, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem respicit, *Glo. in cap. si Imperator vers. & discuti 96. dist. cap. quamquam de Cens. in 6. & ibi glo. verb. Diuino Consilium Trident. sess. 25. cap. 20.* quam humano, siue ordinatione humana constitutam, vtpotè à Pontifice, vel alias longissima 6. 7.

consue-

consuetudine stabilitam, & concessam: quo iure, Episcopus Leodiensis seu eius Officialis iudicat tam inter Ecclesiasticos, quam seculares, & in causis merè profanis & mixtis, & inter profanas personas iam à multis retrò seculis ad nostra vsque tēpora, sublata subditis euocandi, aut Cameram appellandi facultate, etiam in causis criminalibus, vt paulò post exemplis ostēdemus, nisi quod quâ Episcopus, sententiam sanguinis pœnam infligentem (neque enim Ecclesia quenquam ad mortē condemnat *c. sententiam sanguinis, Ne cler. vel Monach.* & Iudex Ecclesiasticus non potest exer-
8. cere iura sanguinis *c. Clerico, ne cler. & Monarch. secul. neg. se immisc. Decian. Cons. 115. an sit procedendum nu. 13.*) non proferat, sed vsque ad sententiam exclusiuè cognoscat, vti non ita diu vidimus in caussa criminaliter intentata per Warnerum Ryckman Archifiscum contra Barnabam Villicum de Soumangne, qui licet à decreto capturę Officialis contra se ob homicidium aliaque crimina lato de data anni 1608. Iunij 14. appellasset Metropolitanum, ac pro vlteriori effugio Cameram Spirensem, tandem coactus ille fuit depacisci cum eodem Archifisco, & grauem fisco Serenissimi Episcopi summam dependere. Nam obsistebat quoque huic
9. appellationi Constitutio Maximiliani Imperatoris de data anni 1518. & Caroli V. de data 1530. octob. 20. quibus cauetur ne cuiquam liceat à sententijs diffinitiuis, seu interlocutorijs, aut etiam decretis capturæ per Iudices seu Iustitias de iure vel cōsuetudine competētes Districtuum & Dominiorum Ecclesiæ Leodiensis latis, ad se, seu consistorium suum Imperiale appellare: quæ Principum placita, legis habent vigorem teste Nicolao Boërio *Consil. 20. nu. 19. text. in § quod Principi placuit de Iure natur. instit.*

Neque Iurisdictio hæc in criminalibus à paucis annis fundata est, sed à pluribus retrò seculis. Suffecerit nobis præteriti æui præiudicia inter mille aliquot proferre. Ecce anno 1517. ratione homicidij inquestatus fuit Ioannes Hoens qui pœna extraordinaria

naria per Officialem Leodiensem condemnatus fuit. Item anno 1518. pro simili homicidio per Ioannem de Loe perpetrato. Anno item 1561. pro remissione excessus commissi per quendam Eustachium de Basenge in personas nonnullorum Apparitorum, quos Crenkenatios vocamus, lato decreto capturæ carceribus mancipatus fuit; & tandem pœnâ similiter extraordinaria mulctatus est. Insuper aurifaber quidam sententia R. D. Officialis remissus fuit ad Scabinos Iudices sanguinis, & capite truncatus tempore Officialis Dorn. Adhæc quidam Anabaptistę in profluẽtem Mosam de ponte præcipitati rei & conuicti facti coram Officiali. Neque multi præteriêre anni, cum quidam vana religione ac potius superstitione occæcatus populum terruerat: iussus is est tæda accensa flexis genibus pro tribunali Officialis Deum, Episcopum Principem, D. Officialem & quos offenderat veniam precari & ad Scabinos remissus & suspensus fuit.

Sed immane quantum exemplorum Regesta Officij nostri suppetant, quæ si in medium afferantur, fatigaremus omninò oculos legentium. Vnum adhuc quod sub manu est producam, nimirum Catharinæ Lauri de Hermée quæ anno 1617. de falso & periurio coram Officiali Leod. inquestata & conuicta, ad legem, id est Iudicem secularem pro coërcitione temporali remissa fuit. Talia ergo sexcenta, referri possent, sed cui bono in re tam clara? esset enim tenebras luci suffundere, ac potius lucem Soli fœnerare, & otio abuti meo, quod alioqui mihi parcissimum est.

CAP. XXV.

Distinctio Iurisdictionum in Ciuitate Leodiensi.

SVMMARIVM.

1. IVrisdictio Ordinaria potest in eadem Ciuitate pluribus Magistratibus competere.
2. Officialis Ordinarius etiam est Iudex in Ciuitate Leodiensi.

P 3. Clerici

3. *Clerici qui coram Iudice laico conueniuntur ius habent recurrendi ad iudicem Ecclesiasticum.*
4. *Clerici à iurisdictione Principum secularium sunt omnino exempti, certis tamen causis exceptis.*
5. *Causa cadens coram Officiali ius prouocandi habet Metropolitanum, vel Papam eiusve Nuncium.*
6. *Scabinorum iudicium quale?*
7. *Iudici ordinario Ecclesiastico se subijcere potest puniendum criminosus.*
8. *A sententia Scabinali olim appellabatur Camera Spirensis, hodie Concilium Ordinarium.*
9. *Concilium Ordinarium quibus personis constet.*
10. *Causa cadens in Concilio Ordinario, prouocat Cameram Spirensem, dummodo intra taxam definitam appelletur.*
11. *Alias Reuisio conceditur.*
12. *Tribunal xxijvirûm.*
13. *Officialis Capituli Leodien.*
14. *Curia feudalis constituitur ab Episcopo in qualitate Principis secularis. Iurisdictio dicta Curia.*
15. *Officialis Leodien. cognoscit super possessorio & an sit causa feudalis.*
15. *Episcopus habet temporalia & Ecclesiastica feuda, & separata tribunalia.*

1. IVrisdictio ordinaria potest in eadem Ciuitate competere pluribus Magistratibus, sed tamen cum distinctione, vt vnusquisque sit contentus sua Iurisdictione, & ne promiscuis actibus rerum turbentur officia, *Arg. l. consulta Diualia. C. de testam. Vant. de nullit. tit. nullit. & definit. iurisd. nu. 43.*

Quippe Officialis, qui est ordinarius iudex Ecclesiasticus in
2. omnibus causis pecuniarijs mixtis & criminalibus, etiam inter profanos concurrit cum Scabinis in Iurisdictione, recteque aditur

tur in prima instantia ab omnibus etiam secularibus, & in causis merè profanis, quamquam qui priuilegio rasi verticis gaudent, & 3. similes, in ius vocati coram Scabinis, causam possunt ad tribunal Officialis reuocare, impetrato ab ipso mandato, quod *Inhibitorium* dicitur, quo quidem Iudicibus profanis denunciato, causam & litigantes ad tribunal Ecclesiasticum Officialis transferre & remittere coguntur, *DD. ad cap. 4. §. 17. de Iudic. & ad cap. 12. de foro compet. Aufrer. in Repetit. Clem. 1. de offic. ord. Guil. Bened. ad cap. Raynutius verb. & vxorem n. 2. nu. 322. Cassaneus ad consuet. burg. Rub. 1. §. 5. vers. Archidiaconus nu. 44. Boer. decis. 69. Couar. pract. quæst. c. 31. nu. 3. vers. tertia conclusio glo. in cap. 11. dist. 96.* vbi scribit Clericos ante omnem humanam constitutionem fuisse & 4. esse à Iurisdictione secularium Principum omninò exemptos: Licet certis in causis nequeant remitti ad suum Iudicem, quos complectitur Card. Tuschus *pract. quæst. tom. 4. conclus. 452.*

Verùm, qui coram Iudice isto Ecclesiæ causa cadit, ius prouocandi habet vel ad Metropolitanum, vel sedem Apostolicam, aut 5. eius Nuntium missum vel mittendum. Illi verò, qui priuilegio rasi verticis non innituntur, necessariò se sistere debent coram Iudicibus laicis, maximè in criminalibus, qui Iudices cum Officiali ius dicunt in causis ciuilibus & criminalibus: quorum tribunal, 6. certè in criminalibus, declinare nemini fas est, nisi priuilegio fori, primæ scilicet tonsuræ gaudeat: tametsi liceat preuenire Officialem Iudicem etiam ordinariũ, nam subijcere se quis potest Iudici Ordinario Ecclesiastico vt puniatur, quo facto à nemine amplius inquietari potest, *Nauar. conf. 2. nu. 2. de sponsal. fol. 4. p. 2.* dummodo tamen absit illa calliditas, quam habet articulus VI. *de In-* 7. *hibit. in Reformat. Principis. Ernesti.*

Porrò, à sententia Scabinali in ciuilibus appellabatur olim indistinctè ad Cameram Spirensem, vt quæ Sacram Cæsaream Maiestatem repræsentat, *Mynsing. cent. 4. obser. 5.* 8.

At quia ob leuissimas & diobolares plerumque ciuiles lites, maximæ in perniciem fraudemque appellantium procreabantur expensæ, litiumque sumptus grauissimi, inde placuit non licere illò appellari, sed Concilium Ordinarium: quod nouem personis
9. ex tribus Ordinibus patriæ desumptis compositum est: siquidem tres auctoritate Principali constituuntur, duo à Capitulo Cathedrali, duo ab equestri Ordine, duo denique à Ciuitate, & Oppidis Patriæ Leodiensis: & quidem sine vllo omninò munere aut corruptela: talibus enim portam dignitatis huius patêre non debere maiores nostri censuerunt, & meritò; cum præsumantur esse corruptibiles, qui Gratijs litant: necesse enim est vt qui emit, vendat, inquiebat Imperator Seuerus.

Cœterùm, qui in hoc tribunali causa cadunt, demum ad ante-
1. dictum Spirense Consistorium appellant, si summa vndè agitur excedat 50. florenos aureos reditus annui, aut 600. in numerato: ex constitutione verò Caroli V. in realibus & immobilibus 1200. in personalibus & mobilibus 300. florenos auri. Sin aliter; Reui-
11. sio conceditur. Id quod iuri communi conforme est: quo iure nunquam recurri solet ad Imperatorem vel supremũ Principem, nisi causa sit ardua, intolerabilis præiudicij & notoriæ Iniustitiæ, *Kinchen tract. de supremo territorij iure. cap. 1. nu. 372.* longè enim
12. æquius est subditos recurrere ad immediatos Principes, quam ad Imperatorẽ. *Idem Kinchen d. c. nu. 367. & seqq.* quæ sententia conformis est ordinationi Anacleti Papæ *in Epistola 1. quæ exstat vol.*
13. „ *1. Conciliorum* his verbis: Vna quæque prouincia tam iuxta Eccle-
„ siæ, quam iuxta seculi leges suos debet iustos & non iniquos ha-
„ bere Iudices, & non externos, nisi Apostolicæ sedis huius de-
„ creuerit auctoritas quatenus quicumque causam habuerit apud
„ suos Iudices iudicetur: & non ad alienos, causa vagandi, stimu-
„ lante proteruia, suam despiciens patriam, transeat, &c.

14. Est & Iudicium siue Curia Allodialis quæ de bonis allodialibus cognoscit, constatque duodecim personis, quarum quatuor nominantur

minantur per Sereniſſimum Epiſcopum Principem, quatuor per Capitulum Cathedrale, & alij quatuor per Ciuitatem. Porrò habent iſti Prætorem ſiue Villicum qui etiam deſignatur per Epiſcopū. Graphiarius verò & admiſſionalis per collegiū eligitur.

Et præter dictos Iudices eſt Tribunal xxijvirûm, qui partim deſumuntur à Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, partim ex Ordine Equeſtri, partim ex tribubus opificum Ciuitatis, partim denique ex octo Oppidis huius ditionis. Iſti autem xxijviri, cognoſcunt maximè de cauſis Ciuium & incolarum patriæ Leodienſis, in quibus vis & ſpolium allegatur. his autem qui apud illos offendunt ſeu cauſa cadunt, ius prouocandi datur ad deſignatos Ordinum, quos vulgò Deputatos Statuum nuncupamus. De hoc tribunali xxijvirûm in occaſione tractatus Conſeruatorum ſcripſit Eraſmus à Chokier I.C. Leod. meus frater *tom. 2. de exempt. parte 3. per totum, & ſignanter q. 40.* vbi *nu. 4.* ſcribit Officialem Leod. poſſe cenſuris ſuis xxijviros Iuriſdictionis ſuæ metas excedentes coërcere.

Eſt & Officialis Capituli Eccleſiæ Cathedralis, qui cognoſcit in prima Inſtantia in quibuſuis cauſis inter clericos non exemptos, 15. & laicos ſi tales clericos conueniant, vel à clericis fuerint impetiti. Et iſte Officialis eſt adinſtar Vicarij foranei, cum ei Iuriſdictio tantum competat in certo genere perſonarum, *Maranta de ord. iud. part. 4. diſt. 5. nu. 14. fol. 55.* à quo proinde appellari poteſt ad Officialem Iudicem Ordinarium *Franc. Pauin. de Poteſtate Capituli ſede vacante part. 2. q. 10. nu. 14.*

Eſt & Curia Feudalis (quam qualitate Principis temporalis conſtituit Epiſcopus) quæ de cauſis merè feudalibus ordine iudiciario ſeruato cognoſcit, etiamſi vaſalli ſint Clerici, 16. *cap. ex tranſmiſſa & ibi glo. c. Ceterū de Iudic. c. Romana §. debet de appell. in 6. Io. And. & Geminia in c. vnico de cler. coniug. in 6.* vbi Archid. dicit iſtam opinionem de conſuetudine ſeruari, quod & probat Stephan. Aufrer. *tract. de ſeculari poteſt. in cler. limit. pag. 138.* Si tamen coram

17. Officiali ageretur in feudali possessorio, is esset competens, Rosental *cap. 12. cons.* 1. vt & si excipiatur causam esse feudalem, ipse antequam causam remittat ad Curiam feudalem, cognoscet an ad se spectet Iurisdictio, hoc est, an de feudo controuertatur, *Gail. lib. 1. obser. 34. nu. 2. per iura ibi allegata.* Vnde, cum causa non est merè feudalis, sed alterius naturæ, licet de feudo tractetur, tunc à sententia lata per clericum non appellatur ad Curiam feudalem, sed ad Superiorem Iudicem Ecclesiasticum *Bero. cons 82. nu. nu. 13. lib.* 1. vt in multis causis vidimus, & inter alias Illustrissimi Comitis Billij, contra D. Ioannam de Sterch ratione Dominij de Farcinnes.

18. Ex quo infertur, quod licet Episcopus Leodiensis habeat temporalia, & Ecclesiastica feuda, & vtraq; Iurisdictio capiti Episcopi cohæreat, separatum tamen debeat habere tribunal in processu & cognitione apud diuersos Iudices. *Math. Stephani tract de Iurisdictione lib. 3. cap. 15. nu. 10.*

Hæ autem Iurisdictiones distinctæ, prouidè à maioribus nostris stabilitæ sunt, vt sua cuique Iurisdictio seruaretur, id quod minus eueniret, si Iurisdictiones confunderentur, & ab Ecclesiastico ad Iudicem secularem appellaretur.

CAP. XXVI.

Rursus adstruitur Iurisdictio Ecclesiastica in Causis profanis, per longissimam consuetudinem immemorialem præsciptam, & prorogationem.

SVMMARIVM.

1. *IVrisdictio Iudicis Ecclesiastici in laicos, acquiri potest præscriptione, consuetudine, vel prorogatione, sed non è contra.*
2. *Iurisdictio præscriptione acquisita, non cumulatiuè, sed priuatiuè adepta censetur.*

3. Iuris-

3. *Iurisdictio acquiritur etiam contra Principem quando est immemorialis.*

4. *Consuetudine acquiritur Iurisdictio.*

5. *Iurisdictio acquiritur prorogatione.*

6. *Iurisdictio Ordinaria fauorabilis est & extendenda.*

7. *In dubio præsumitur pro Iurisdictione Ordinaria.*

8. *Processus factus à Iudice habente Iurisdictionem exceptione elidibilem valet, si exceptio non obijciatur.*

9. *Omittens exceptionem Incompetentiæ, censetur prorogare.*

10. *Laici possunt tacitè vel expressè prorogare Iurisdictionem fori Ecclesiastici.*

11. *Causa semel coram Ecclesiastico prorogata, semper manet Ecclesiastica.*

12. *Iudex profanus non potest se immiscere causa cui Iudex Ecclesiasticus apposuit manum.*

13. *In appellatione interponenda non tam est inspicienda qualitas causæ, quam Iudicis.*

14. *Iudex superior appellandus est habito respectu ad qualitatem Iudicis à quo, non causæ.*

15. *Officialis Leodiensis exercet ordinariam Iurisdictionem in causis Ecclesiasticis & merè profanis, à cuius sententijs appellandus est superior Ecclesiasticus.*

16. *Iurisdictio Iudicis Ecclesiastici est magis prorogabilis, quam cuiuscumque secularis.*

17. *Iurisdictio Iudicis Ecclesiastici vbi in Camera est prorogata, sententiæ non retractantur, super quo producuntur præiudicia.*

18. *Processus & sententia latæ per Iudicem qui alias patiebatur defectum potestatis impeditiuum si non fuit oppositus, ipso iure tenet.*

19. *Quando censetur facta prorogatio.*

20. *Leodienses sunt in antiquissima consuetudine vt causæ ciuiles etiam inter laicos coram Officiali intentatæ per appellationem deuoluantur ad Metropolitanum, vel Papam, eiusve Nuncium.*

21. Est;

21. *Episcopi Audientiam tantùm secundum quosdam in laicos, non Iurisdictionem habent.*

22. *Caroli Magni Constitutio tribuens Ecclesiasticis Iurisdictionem.*

23. *Illa canonizata est, & est saltem instar priuilegij.*

24. *Priuilegium à pluribus Pontificibus & Imperatoribus confirmatum, difficilius tollitur.*

25. *Consuetudo confert Iurisdictionem.*

26. *Valet consuetudo vt laicus possit indistinctè coram Ecclesiastico conueniri.*

27. *Consuetudo dat merum Imperium etiam priuatæ personæ.*

28. *Consuetudo & priuilegium parificantur.*

29. *Consuetudo immemorialis habet vim constituti.*

30. *Iurisdictio de cuius contrario non extat, habetur loco constituti etiamsi populus super eo disponere non possit.*

31. *Papa potest præscribere iurisdictionem in terris Imperij.*

32. *Præscriptio non quæritur vlli nisi data scientia eius ad quem ius spectat.*

33. *Ex Constitutionibus Imperij cautum est, vt in omnibus causis, Ecclesiastica Iurisdictio per Episcopos aliosque prælatos exerceri possit.*

34. *Concessione Regalium quam fecit Imperator Episcopo Leodiensi censetur à se abdicare omnem Iurisdictionem.*

35. *Ac etiam concedere Episcopis Leodiensibus exercitium iurisdictionis temporalis, cuius bona sunt etiam exempta ab omnibus Iurisdictionibus.*

36. *Exercitium Iurisdictionis temporalis quam habet Ecclesia Leodiensis, obtinuit & obtinet ex longissima consuetudine.*

37. *Consuetudo operatur vt in Iudicem incompetentem fieri possit prorogatio.*

38. *Iurisdictio temporalis competens Ecclesiæ Moguntinensi, Coloniensi, Treuirensi, & Leodiensi originem habet antequam Cameræ Spirensis esset in rerum natura.*

39. Papa

39. *Papæ inhibitioni in dubio parendum.*
40. *Auctoritas vetustatis magna.*

IVrisdictionem Iudicis Ecclesiastici in laicos acquiri posse præscriptione, consuetudine, vel prorogatione tradunt omnes *in cap. cùm contingat de foro comp. cap. licet ex suscepto d. tit. l. 3, C. de Emancip. lib. Wamesi. tomo 2. consil. 63 & consil. 68. nu. 4. & cent. 1. consil. ciuil. cons. 4. nu 3. Card. Tuschus tom. 5. pract. conclus. 545. nu. 9. Iason. & Zasius in l. more ff. de Iurisd. omn. iud. Mynsing. cons.* 17. qui ex cõmuni aliorum sententia scribunt merum & mixtum Imperium præscribi posse: adeò vt Iudex Ecclesiasticus Iurisdictionem secularem facilè præscribere possit, licet non è conuerso, *cap. significauerunt vbi Aret. in 2. Not. & Felinus nu. 3 de Iudic. Riccius in praxi Neap. Rer. ciuil. decis.* 217, *nu.* 6. *Adrian. Gilmannus tom.* 2, *Symphor. Camer. Imper.* eiusmodique Iurisdictio per præscriptionem acquisita non cumulatiuè sed priuatiuè censetur 1.
adepta, perindè atque si cõtractu esset acquisita, cum præscriptio æquiparetur pacto, siue cõtractui, *Bald. de præscipt. part. 1. quæst. 6. fac. l. alienationis 28. vbi alciat nu. 9. de verb. signif. Math. Stephani tract. de Iurisd. lib. 1. cap. 38. nu. 36. p.* 239. 2.

Quod etiam extenditur, vt quando est immemorialis præscriptio, etiam contra Principem supremum, acquisita Iurisdictio censeatur, *Alex. consil. 16. in caussa & lite nu.* 27. *lib. 5. vbi dicit communem, Cardinalis Tuschus tom. 4. pract. quæst. conclus. 545. Bart. cons. 189. Primò quæritur vers. aut ergo nu. 3 lib. 1 Alex. cons. 16. nu. 15.* 3.

Extende, vt nedum præscriptione, sed etiam consuetudine acquiratur: consuetudo enim tribuit Iurisdictionem non habenti *l. viros C. de diuers. Offic. lib. 12. Roman. cons. 300. in casu circa prin. Bart. d. Cons. 189. Socin cons.* 39. *capio primùm libro 4. & Cons. 111. abundè & sufficienter lib. 1. Felij. in c. ex parte Decani de Rescrip, Bald. in l. fin C. de Præscrip. long. temp. Wamesi. cent. 1. Consil. 16. nu. 4. & 6.* & desertius appellandi ad incompetentem *Francus in cap. si duobus § denique nu. 13 de appellat. Curt. de feud. p. 7, q. 8, nu: 28.* 4.

Vant. de Nullit. ex defect. iurisd. ord. nu. 51.

Consuetudinem porrò vocamus eiusdem actus repetitionem cursu longi temporis roboratam *Bald. in auth. Quas actiones C. de sacrosanctis Ecclesijs* & in hoc differt à præscriptione, quod ista acquirat ius contra singularē, illa contra quemlibet indifferenter, illa creat ius publicū; ista priuatum, *Milis in repert. verb. consuetudo non potest.* & in verbo *Præscribi autem an possit.* vbi scribit quod vbi dubitatur de patientia Principis, tunc Imperium quæri potest vsu & consuetudine tanti temporis cuius initij memoria non extat.

5. Vlterius, prorogatione acquiritur Iurisdictio, adeò vt etiam si sit contentiosa prorogari possit: Nam laici possunt prorogare Iurisdictionem Episcopi, *Calder. cons. 468, nu. 2, vers. 4, alias 3, qui Felij sint legitimi, Maria Socin. in c. significasti nu. 2, de foro comp. fred de senir. cons. 14. Wames. cons. 66, nu. 4, de Iudit.* non autem è conuerso clerici possunt prorogare Iurisdictionem laici *c. 1, c. significasti de Iure comp. Wrmb. pract. foren. lib. 1, tit. 8, in fi.*

6. Iurisdictio enim ordinaria fauorabilis est, & extendenda, *iuxta not. in cap. cum in Iure peritus ff. de Offic. deleg. feder. de senis consil.* 158, *Reuerende Pater, in fi. verb. quæ orgo.* adeò, vt in dubio pro ea præ-
7. sumatur, licet de eius potestate non doceatur *d. cap. cum in iure Guido Papa decis. 322.*

Hinc fit vt processus factus à Iudice habente Iurisdictionem
8. exceptione elidibilem, valeat, si exceptio non objiciatur, *glo. clem. 2, verbo competente. vbi Lapus, Card. Imol & DD. vt lite pendente Bern. Wrmbserus pract. foren. lib. 1, tit. 8. de Exempt. in fi. Francis. Marcus Decius 196. nu. 3. Erasmus à Chokier tract. de exempt. part. 2.*
9. *quæst. 6, nu. 5.* Qui enim omittit exceptionem incompetentiæ, censetur prorogare. *Castren. cons. 203. nu. 1. lib. 1. Card. Tuschus*
10. *pract. conclus. tom. 4, conclus. 561, nu. 6,* vbi etiam dicit quod Laici possunt tacitè, & expressè prorogare Iurisdictionem fori Ecclesiastici, *Franc. Marc. decis. 82, lib. 1.*

11. Inde etiam fit, vt causa semel corā ordinario Ecclesiastico prorogata, semper maneat Ecclesiastica, & per solum Ecclesiasticum

Iudicem cognoſcenda in quacumque inſtantia, atque ita ab inferiore ad ſupremum id eſt Eccleſiaſticum, ſecundum naturã appellationũ, deferenda, non etiam ad aliquẽ ſecularẽ, qui quantumuis maximus ſit, quocumque Iudice Eccleſiaſtico inferior habetur *c. ſolitæ de Maior. & obed. c. vt noſtrum & ibi DD. de appell.* & cauſæ cui Eccleſiaſticus ſe immiſcuit manum apponere non poteſt *d. c. vt noſtrum c. ſtatutum de Reſcript. in 6. Wameſ. conſ. 67. nu. 8. de Iudic. p. 103.* 12.

Nam in appellatione interponenda, non tam eſt inſpicienda qualitas cauſæ aut litigatorum, quam Iudicis à quo prouocatur, *Elect. Wameſ. in cap. ſi duobus §. Denique in pr. de appell* Ideòque prouocandum eſt ad ſuperiorem Eccleſiaſticum. Iudex autem appellandus eſt ſuperiòr, habito reſpectu ad qualitatem Iudicis à quo, non cauſæ, vt dictum eſt, adde *DD. in l. ſi quando, C. de appel. l. ſi quis l. Imperatoris ff. de appell. l. addictos C. eod.* 13. 14.

At verò, Officiali Leodienſi ea ineſt qualitas, vt ſit Iudex Eccleſiaſticus exercens Iuriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam nedum in cauſis Eccleſiaſticis, ſed etiam merè profanis, & inter profanos, à cuius proindè ſententijs appellandus eſt ſuperior Eccleſiaſticus *d. cap. ſi duobus Abb. in c. licet. ex ſuſcepto nu. 15. de foro comp. Spirid, de appellat §. 4. verſ. nunc tractemus nu. 10. cap. placuit & per text. in c. anteriorum 2. q. 6. c. Metropolitana 2. q. 3.* 15.

Maximè, vbi prorogata eſt eius Iuriſdictio, quæ magis eſt prorogabilis, quam Iudicis cuiuſcumque ſecularis, *Scaccias de appellat. quæſt. 19. remed. 10. Concluſ. 2. nu. 26.* Nam vbi partium conſenſu prorogata eſt Iuriſdictio Iudicum Eccleſiaſticorum, certum eſt ſententias non retractari in Camera, nec ad eam deuolui teſte Mindano, *de Proceſſ. lib. 1. cap.* 11. de quo extat celebre præiudicium ipſius Cameræ in cauſa Illuſtriſſ. Comitis de Warfuſee, contra Dominum de Rocour ratione Baroniæ de Elderen. Accedit aliud præiudicium apud eundem Mindanum cuiuſdam Viduæ Catharinæ Webers, quæ poſt ſententiam Officialis Colonienſis, 16. 17.

niensis, & postmodum in instantijs vlterioribus coram Iudicibus Apostolicis litigarat, & nominatim corā Decano Ecclesiæ Sancti Georgij Coloniensis Iudice Pontificia auctoritate delegato condemnata, ad Cameram pro processibus obtinendis habuit recursum, super quo D. Assessores tulerūt hoc votū, in Concilio Vbespslergen. Quamuis ex actis simul cum supplicatione productis sufficienter constet Viduam hanc iustam habere causam, quia tamen adhuc res non est integra, sed vidua in Iurisdictionem delegatorum Pontificis consenserit, eamque approbauerit, & postea à sententia legati huc appellauerit, cum de Iure ad delegantem appellare debuisset, non videtur Iurisdictio Cameræ fundata, idcircò processus denegati, ita habetur in Symphor. supplic. Cam.
18. *tom.1.p. 2.tit.7.in fi.* & meritò: quia processus & sententiæ latæ per Iudicem qui alias patiebatur defectum suæ potestatis impeditiuum, si non fuit oppositus, ipso iure tenent *Innoc. abb. Felij & alij in cap. Sciscitatus nu. 4. de Rescript. Vant. tit. Quib. mod. sent. null. defen. poss. Iacob. Sbrozzius tract. de Vicar. Episc. lib. 1. quæst. 39. nu. 10.*

19. Prorogatur autem Iurisdictio cum ante exceptionem declinatoriam opponitur alia exceptio: tunc enim per talem oppositionem inducitur consensus in Iudicem, & non potest postea opponi declinatoria *l. si susceperit in pr. ff. de Iudic. l. fin. C. de Except. DD. in c. inter monasterium, de Re. iud. Adrian. Gilmanni tom. 4. Symphor. part. 1. Voto 3. nu. 11. pag. 12.*

20. His ita præmissis, dicimus 1. Leodienses esse in antiquissima consuetudine ab omni æuo continuis temporibus obseruata, vt causæ ciuiles coram Officiali Leodiensi introductæ, etiam inter merè laicos deuoluantur, & deuolui debeant per appellationem ad Iudices etiam Ecclesiasticos, videlicet ad Metropolitanum, vel Nuncium Apostolicū, aut S. Sedem illiusvè his in locis delegatos, quemadmodum diuersorum testimonijs ostendimus supra c. 19. id quod conforme est iuri communi, per text. in *cap. Romana §.*
debet

debet. de appell. in 6.: cap. licet. vers. ad nostrum de foro compet. Io. Gallus. decis. parlam. Paris. 293.

Quæ quidem consuetudo eâ nititur ratione, quod maiores nostri tantum religioni tribuerunt, vt etiam in secularibus negotijs habere voluerint iudiciũ Clericorũ, iuxta *l. Episcopale C. de Episcop. audien.* licetque sint qui dicãt Ecclesiastici Iudicis nullã esse Iurisdictionem in laicos, sed tantum Audientiam, ideòque titulum illum Cod. inscribi de Episcopali Audientia, non de Episcopali Iurisdictione: quia Audientia duntaxat est volentium, & se subijcientium, Iurisdictio verò in inuitos exercetur *l. inter stipulantes* §. 1, *de verb. oblig.* tamen respondetur primò, huiusmodi potestatem postea ab alijs exinde Imperatoribus ad Iurisdictionem extensam & amplificatam, quod patet ex constitutione Caroli Magni, qui anno Christi 801. confirmauit legem Theodosij Imperatoris *Auth. vt differ. iud.* § *si tamen, coll. 9,* his verbis: Volumus atque „ præcipimus, vt omnes nostræ Ditioni subiecti, tã Romani, quam „ Franci, cæterique nobis subiecti vinculo legis habeãtur districti, „ vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam perpetua „ lege teneant, id est, Vt quicumque litem habens, &c. cætera „ quæ breuitatis causa omittuntur, habes supra *capite* vj. quæ Carolina, est Canonizata in cap. quicumque 11. q. 1.

21.

22.

23.

Nec audiendi qui dicunt Legem illam abrogatam, vt videtur insinuare glo. ibid. quia licet non fuerit inserta corpori iuris, tamen non ideò censetur abrogata, quinimò censeri debet priuilegium Ecclesiæ concessum, præsertim quando confirmatum est per ius Canonicum *c. Nouit. ibi Imo, & host. de Iudic.* priuilegium autem à pluribus Pontificibus & Principibus confirmatum difficilius tollitur, præsertim cum accedit fauor Ecclesiæ aut religionis *Decius consil. 165 nu. 3, & alij quos adducit Erasmus à Chokier Frater meus, tract. de exempt part. 3, quæst. 9. in fi.* 24.

Secundo respondetur, Iurisdictionem Ecclesiastici Iudicis in laicos vt prorogabilem præscriptione, vel consuetudine, etiam

in inuitos iure Ordinario acquiri potuisse, *d. cap. cum contingat & ibi glo. de foro compet. Wames. tom. 1. consil. 68. de Iud. c. licet ex suscepto* §. *1. de foro comp. vbi Abb. nu. 15. & 16.* Consuetudo enim
25. dat Iurisdictionem, & defert ius appellandi ad incompetentem *d. c. licet d. c. cum contingat Franc. in c. Si duobus* § *denique nu. 13 de Appellat. d* § *debet.* valetque consuetudo, vt laicus possit indi-
26. stinctè coram Ecclesiastico conueniri *c. si Clericis Laicum c. licet ex suscepto de foro compet. Franc. d. nu.* 13.
27. Nam & consuetudo dat merum Imperium etiam priuatæ personæ *d. c. cum contingat, de foro comp.* Vnde fit, vt consuetudo & priuiligium parificentur *cap. conquestus* 9. *quæst. 3 c. quia, dist. 64 Innoc. c. Nouit. nu. 6 de Iudic. & ibi glo. verb. consuetudinem.* Imò,
28. consuetudo de cuius contrario memoria non extat, habetur loco constituti iuris inter omnes personas, & multò magis pro Ecclesia, *cap. Episcopum in fi. de præscript. in* 6, etiamsi sit super eo super
29. quo populus expressè disponere aut statuere non possit, *Grauet. de antiq. temp. par 4 nu. 13 & seqq. Adrian. Gilmanni tom. 4 symphorematis supplicationum Cameræ p. 1 voto.* 11 *nu.* 79. *Garcias Ma-*
30. *strillus decis. Regni Siciciæ* 114, *nu.* 19, vbi dicit quod ab exercitio Iurisdictionis præsumatur Iurisdictio, qua de re latius agemus infra cap. xxxj.
31. Tertio, respondetur quod Papa potest præscribere Iurisdictionem in terris Imperij, *Mandos. de Inhibit. quæst. 47, nu. 7 Bald. in l. 2. C. de Seruit. & aqua, Caccialup in l. Imperium nu 3, ff. de Iuris. omnium ind.* vt dicemus infra, eoque casu priuatiuè acquisita censetur, *Menoch de præsumpt. l. 2 præsumpt. 48, nu. 23, vers. Duodecimus est casus, per cap Irrefragabili de off. ord. c. vt debitus, de Appell.*

Verùm, aduersus hanc consuetudinem exercendi Iurisdictionem Ecclesiasticam, & præscriptionem in causis profanis, inter merè profanos in prima instantia, objiciunt nonnulli, quod illa introduci non potuerit in præiudicium Cęsaris contra quem non cadit præscriptio. Nam in eiusmodi incorporalibus, quasi possessio &

sio & perconsequens præscriptio non quæritur, nisi datâ scientiâ 32.
ad quem ius illud spectat. *Restaur. Castal. tract. de Imper. quæst. 54, nu. 20, Capycius decis. 57. l. penult. ff. de seruit. l. 1, & 2, vbi Barth. C. eod. & in l. 1. § denique ff de aqua plu. arcen. Abb. in c. cum dilectus nu. 7, per tot. de Relig. dom.* adeò vt non sufficiat scientia Officialium, prout videtur sentire Bart. *in l. si publicanus § fin. ff. de Publican, & Ang. aret. consil. 42, col. vlt,* sed ipsiusmet Imperatoris, *Salij in l. 2, vers. sed præfatorum C. nona vect, instit, non posse & Ias. in l. Imperium ff. de Iurisdic. om. iud, Capycius de decis. 57, in fi. Decis. consil. 307, nu. 9.*

Respondeo, prædicta iura non quadrare materiæ propositæ, sed in articulo quo Dux, Comes, Marchio recognoscens supremum Principem, non potest præscribere contra eius Iurisdictionem, & per consequens ab eo ad Regem appellatur. At verò Officialis Leodiensis in sua iurisdictione non recognoscit Cæsarem nisi S. Pontificem, vt ante ostensum est, & vt recognosceret Cęsarem, dicimus secundo, prædictam consuetudinem nedum toleratam fuisse per Officiatos Imperatoris, sed etiam ab ipsomet Imperatore, & Principibus secularibus stabilitam in Imperij consti- 33.
tutionibus, publicatis anno 1555, quibus inter alia cautum est, vt in omnibus causis Ecclesiastica Iurisdictio per Episcopos, Archiepiscopos, aliosque Prælatos exerceri possit, exceptis quæ ad Religionem Augustanæ confessionis pertinent. Et in dieta Nurenbergensi anno 1522. habita, de eo tantum conquestus est Imperator, & status Imperij apud Pontificem, quod causæ profanæ in prima instantia ad Ttribunal Romanum introducerentur, ideòque rogabant suam sanctitatem, ne in posterum id tolerarer, sed personas & causas istas ordinario Iudici, cui immediatè subsunt, relinquere, nulla causarum appellationum facta mentione, sed ijs in terminis in quibus erant relictis, quemadmodũ latius videre licet apud Melchiorem Vedastum *in Enchridio, Constitutionum Imp. in grauaminibus per Imperij statum in dicta Dieta exhibitis.*

Secundo

Secundo, respondeo Imperatorem per Regalium concessio-
54. nem, quam facit Episcopo Leodiensi nouiter electo, vt supra cap. 17. ostendimus, censeri concedere & abdicare à se omnem Iurisdictionem, *Rosental. tract. de feudis lib. 5. Conclus.* 14. *nu.* 2. quia confirmationes Donationum factarum Ecclesiæ Leodiensi, per Imperatorē exprimunt diuersas Curtes, quarum appellatione venit Iurisdictio *Aret. Cons.* 15. *nu.* 1. *Farin. in Consil. Criminal. in fine nu.* 33. *faciunt supra notata cap. xviij.*

Tertiò. Quinimò constat eundem Imperatorem in conces-
55. sione dictorum Regalium concedere Episcopis Leodiensibus exercitium Iurisdictionis temporalis, vti patet ex Inuestitura seu Reliuij formula Guidonis Episcopi Leodiensis supra cap. xvij. relata, præterquam quod omnia bona Episcopi Leodiensis habeant priuilegia Ecclesiastica, & sint exempta ab omnibus Iurisdictionibus, teste Adriano Gylmanni *tom.* 4. *symphorematis supplicantionum pro Procesß. in Camera Imperij impetrandis, part.* 1. *voto* 3. *nu.* 25.

Quarto & denique, licet præmissa cessarent, respondetur Ec-
56. clesiam Leodien. ius istud sibi vindicare, non tam ex præscriptione, quam consuetudine, quæ inducta videtur magis ex volūtate & electione populi recurrētis ad iudicium Ecclesiasticum quam ad seculare: præsertim, cum in contradictorio Iudicio fuerit sæpius pro ea pronunciatum per Camerā Imperialem, & processus appellationum ab Officialibus Principū Ecclesiasticorum, aliorumque delegatorum Iudicum Apostolicorū cassati, & causæ ad Officiales eorum remissæ, vti multis præiudicijs alibi ostēdimus, licet à paucis annis conati sint D. Assessores Cameræ retinere eiusmodi appellationes, concedendo etiam mandata cassatoria, licet nullo fundamento, repugnante nimirum nedum iure, sed etiam
57. consuetudine, quæ etiam operatur vt in incompetentem Iudicem fieri possit prorogatio *Curt. iun. de feudis part.* 7. *quæst.* 8. *nu.* 28. *Vanti. de nullit. tit. de nullit. ex defectu Jurisd. ord. nu.* 5. quæ

con-

consuetudo tantò magis iustificatur, quia non est cõtra iuris prohibitionem, habetque antiquitatem temporis pro se: quippè quod originem ducat in hac Diœcesi Leodiensi, atque adeò Moguntinensi, Treuirensi, & Coloniensi, antequam Consistorium Spirense de communi Electorum Principum atque Statuum Imperij consensu per Maximilianum 1. tunc temporis Romanorum Regem Anno 1495. vltima octobris erectum esset, *Math. Stephani tract. de Jurisdict. lib. 2, part. 1, cap. 3. pag. 80.* 38.

Quinimò, legimus eandem Iurisdictionem temporalem competijsse quoque alijs Episcopis, veluti in Portugallia, quemadmodum scriptis prodidit Hieronymus Conestaggius *in suo tract. de Portugal. & Castell. coniunct. lib. 1. in pr.* his verbis: Habet Portu- "
gallia octodecim Ciuitates, multa Oppida maiora, & minora vltra "
quadringenta & septuaginta: tres harum Ciuitatum habent Ar- "
chiepiscopos videlicet Braga, Olysippo, & Ebora, quarum primus "
non tantum spiritualem, sed etiam temporalem obtinet Iurisdi- "
ctionem. Hæc ille.

Ex quibus omnibus efficimus satis superque probatum, non solùm iure Diuino, canonico, & ciuili, verum etiam consuetudinario, Officialẽ Leod. adiri posse in prima instãtia per profanos in causis ciuilibus, & ab eius sententijs appellandum esse gradatim ad superiores Ecclesiasticos, imò à pluribus seculis Officiales Electorum Ecclesiasticorum, eorumque Suffraganeorum Episcoporum, huiusmodi Iurisdictionem in causis merè ciuilibus & profanis, ac inter profanas personas exercuisse, & ab eorum sententijs gradatim Papam appellasse, cuius inhibitioni factæ Cameræ Spirensi in eiusmodi causis, parendum in dubio esse, donec 39.
fuerit, si ita Papæ visum sit, moderata, docet Mandos. *de Inhibitio. quæst, 47.* quæ omnia per infinita exempla probari possent nisi lectoris otio abuti vellem.

Consuetudo autem illa antiquissima vsque adeò clara certa, 40
& explorata est, vt sine verecundia ineptiendi negari non pos-

sit: *tanta enim est auctoritas vetustatis*, inquit Lactantius de origine error. lib. 2. cap. 138. *vt inquirere in eam, scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim, tanquam agnitæ veritati.* adeò vt nec ex capite iustæ ignorantiæ contra eiusmodi consuetudinem & præscriptionem immemorialem restitutio detur, *Menochius lib.* 1. *præsump. c.* 71. *nu.* 2. *Boerius decis.* 39. *Couar. in c. possessor, malæf. p.* 2. § 2.

CAP. XXVII.

Inhibitio per Cameram decreta extra casus à iure permissos, an sit attendenda?

SVMMARIVM

1. *INhibitionis definitio,*
2. *Camera extra casus in quibus ad illam deuoluuntur causæ, Iudici Ecclesiastico inhibere non potest.*
3. *Superior inferiori inhibere potest, quando hic recognoscit Iurisdictionem à superiore:*
4. *Causa semel cognita per Officialem Leodiensem ad Cameram deuolui non potest.*
5. *Causa semel facta Ecclesiastica, manet Ecclesiastica.*
6. *Iudici inhibenti Iurisdictione carenti parendum non est, maximè parte non citata.*
7. *Causæ cognitio requiritur in inhibendo, & quæ?*
8. *Inhibitio emanata sine causæ cognitione non subsistit.*
9. *Fallit in Camera Imperij, modo materia de qua agitur sit appellabilis.*
10. *Inhibitio etiam nulla & subreptitia non facile contemnenda.*
11. *Post tres conformes inhibitio non subsistit: licet Camera aliud velit, quod improbat Mindanus.*
12. *Iudex inferior Ecclesiasticus maior est seculari.*
13. *Inhibendi facultas prouenit à Iurisdictione.*

14. Iuris-

14. *Iurisdictio est anima Inhibitionis.*
15. *Officialis Leodien. habet Iurisdictionem suam independentem ab inuictissimo Cæsare.*
16. *Iudicis Inhibitio non tenet qui caret Iurisdictione.*
17. *Quod procedit nedum in appellatione, sed etiam in Recursu & Supplicatione.*

1. INhibitionem vocamus prouisionem quandam ad Iurisdictionem & iura partium de cætero conseruandum, actus 1.
contra eam facti nullitatem & pœnarum incursum inducentem, *Lancellot. de attent. cap. 20 in Præfat. quæst 2, nu. 7.* Dico ergo Cameram Cæsaream extra casus in quibus ad illam deuoluuntur 2.
causę, inhibere non posse Iudici Ecclesiastico. Nam tum demum superior inferiori inhibere potest ne de causa cognoscat: quando 3.
inferior recognoscit Iurisdictionem à superiore, non autem si recognoscit ab alio, *Archidiac. in c. de persona 11. q. Hostien. in c. Volentes de off. deleg. Bald. in l. 1, C. Quomodo & quando iud. Socin. consf. 99, Serenissimus, nu. 21, & seqq. col fin. lib. 3.* Multifariam autèm huc vsque ostendimus Officialem Leodieñ habere Iurisdictionem independentẽ ab inuictissimo Imperatore. Præterquã quod 4.
vbi cœpit de causa ciuili etiã inter personas merè profanas cognoscere, eiusmodi causa per appellationem ad Cameram deuolui non potest: causa enim semel facta Ecclesiastica, manet Eccle- 5.
siastica, nec ad secularem Iudicem etiam superiorem per appellationem est deferenda *c. vt nostrum, de appel. c. statutum, de Rescript. in 6, Wames. consil. 67, nu. 8, de Iudic.* Vnde fit, vt inhibitioni per illum decretæ parendũ non sit, quia si Iudex qui inhibet caret iu- 6.
risdictione in causa pro qua inhibet, etiamsi inferiori inhibeat, inhibitio non tenet, & ea sperni potest *Alex. consil. 60. l. 7.* præsertim vbi parte nõ citata, & sine causæ cognitione decreta esset, *Lancellot. de Attẽt. part. 2. c. 20 in Præfat. quæst. 4. nu. 119. Card. Tuschus pract. conclus. tom. 4, conclus. 141, nu. 4, Feli. in c. dilectus 2 de Rescript.* quia 7.

 regula-

regulariter in inhibendo requiritur aliqua causæ cognitio *Aret.*
8. *consil. 75. diligenter col 4. Lapus alleg. 161, Felij. in d. c. dilectus, alex: consil. 69, lib, 7, Roland. à Valle cons. 77, nu. 24, lib. 2.* hoc est, vt prius constet de fundata Iurisdictione, de appellationis deuolutione, de graui supplicantis præiudicio, de qualitate facti, de meritis, *Mindanus de Process. & mandatis com. lib. 2. c. 26. nu. 3. & 4.* Adeò, vt inhibitio sine causæ cognitione decreta tanquam de facto facta, debeat etiam de facto reuocari. *Lancell d. q. 4 nu. 124.* Et licet Camera inhibere soleat quoties de Iurisdictione saltem ex
9. narratione appellantis constat; hoc tamen intellectum habet, quando materia est appellabilis, *Mynsing Cent. 3 obser. 87. in fi.* & fundatur in casibus receptis *part. 2 Ord. tit. 23.*

Aduerte tamen, Inhibitionem, etiamsi notoriè sit nulla, vel
10. subreptitiè impetrata non facilè contemnendam, præsertim cum à potentioribus procedit, sed instari prius debere, pro reuocatione inhibitionis, vt de præceptis causa non cognita factis, alias si de facto contraueniretur, periculum esset de pœna *Hercul. de attent. c. 28. nu. 97. Mindanus d. c. 26. nu. 5.* nisi constaret notoriè
11. de non deuolutione appellationum à sententijs D. Officialis & Iudicum Apostolicorum: quia tales appellationes de Iure & consuetudine non subsistunt, qualitate causæ profanæ nonobstante, & mandata cassatoria quæ prauo nonnullorum more iam impetrantur, nullo iure, nullaque ratione defendi possunt, vt infra ostendemus cap. xxxij.

Secundo aduerte, licet de iure non concedatur, nec subsistat inhibitio post tres sententias conformes, *Clem. 1. vt calumnijs de Re. iud.* tamē id in Camera non obseruatur, idque vt magis magisque extendatur illius auctoritas & iurisdictio, *Gail. lib. 1. obseruat. 72. nu. 3.* Sed ego cum Mindano *d. tract. de Processibus, mandatis & Monit. in Imperiali Camera extrahen. lib. 2. c. 26. nu. 6.* vsum hunc non probo: nulla enim hac in re quæritur, inquit ille, Cameræ amplitudo, vtpotè quæ in abbreuiandis potius litibus, quam per

infinitas

infinitas Instantias prorogandis consistit: & si Diui Imperatores coarctata isthac appellandi temeritate, licentia & libidine Iurisdictionis suæ amplitudinem fraudari posse intellexissent, saluberrimam legem Cod. Ne liceat in vna ead. caus. ter prouoc. non promulgassent, aut in Imperij scholis prælegi permisissent.

Vt vt sit, si toleraretur iste vsus, deberet tantum locum obtinere cum Magistratus secularis inferior plures eiusmodi sententias pronunciasset, *Gail. d. obser. 72, nu. 3.* secus autem vbi à Iudice Ecclesiastico,(qui non solum simpliciter est maior seculari, verumetiam quando dubium est ad quem spectat cognitio, 12.
tanquam maior ipse cognoscit *Glo. in c. licet de Except. in 6, Lancellot. d. c. 20 nu. 80. Milis in Repert. verbo Iudex Ecclesiasticus semper est competens*) prolatæ essent, quia tum mandari debent executioni *d. clem. Vt calumnijs.* nec inhibitio à Iudice seculari etiam maiore 13.
subsisteret: nam inhibendi facultas cum proueniat à Iurisdictione, restringitur ad terminos Iurisdictionis, *Lancell. d. c. 20, nu. 201.* Iurisdictio enim est anima inhibitionis, ita vt absque ea inhibitio 14.
nulla sit & minus canonica *Socin. consil. 109, lib. 3. D. August. Biso. cons. 117, nu. 2, lib. 3.* Quare, cum Officialis Leodien. habeat Iurisdictionem suam independentem ab inuictissimo Cæsare, vt multoties supra ostendimus, sequitur latis per eum in prima & 15.
secunda instantijs, & tertia per Pontificios Iudices sententijs, Cameram Cæsaream non posse inhibere, multo minus mandata eius cassatoria, aut auocatoria subsistere; quia nunquam potest superior inhibere inferiori (qualis tamen non agnoscitur Officialis) ne se de causa quam cognoscere cœpit intromittat & eam ad se auocare, nisi quando ille inferior recognoscit eam Iurisdictionem ab ipso superiore, vt dictum est, & probat *Peckius ad c. 1, vers. alterum est axioma, de foro compet. in 6, Archidiac. in c. de persona 11, q. 1, Hostien. in c. Volentes, de off. deleg.* Vnde si Iudex 16.
qui inhibet, careat Iurisdictione in causa pro qua inhibet, inhibitio non tenet, & ea potest sperni, *Alex. cons. 60. lib. 7. Cardin.*

Tuschus tom. 4. conclus. iuris, conclus. 141.

Atque hæc nedum obtinent in appellatione, verū etiam in recursu, & supplicatione ad Cameram; nam pendente recursu & supplicatione locus est executioni *Mynsing. cent. 6. obser 15. nu. 4. Ias. in l. si quis nu. 2, C. de Precib. Imper. offer. Marant. in Spec. 3. p. 6, pr. princ. q. 1, nu. 26. Afflictis decis. 213 & 358. nu. 2, & decis. 269. nu. 3. Guido Papa decis. 50, Capyc. decis. 28, nu.* 11, *Fran. Marc. decis. 83 nu. 2.* Vnde fit, vt querela oblata Principi pro tollenda iniustitia Iudicis inferioris, non suspendit interim dum Princeps de ea cognoscit iurisdictionē eiusdem Iudicis, nec impedit ad vlteriora processum, atque executionem sentētiæ *Scaccias de appellat. quæst 19. rem. 3. nu. 30. & 31.*

CAP. XXVIII.

Excommunicantur qui Iurisdictionem Ecclesiæ competentem impediunt.

SVMMARIVM.

1. *Impedientes vel vsurpantes Iurisdictionem Ecclesiasticam incurrunt excommunicationem,*
2. *Etiam Bulla Cœnæ Domini.*
3. *Quæ est reseruata S. Sedi.*
4. *Officialis Ecclesiasticus potest declarare vsurpantes Iurisdictionem Ecclesiasticam incidisse in excommunicationem.*
5. *Vsurpantes bona quibus est annexa Iurisdictio, Ecclesiastica incurrunt similem excommunicationem.*
6. *Vsurpare quis dicatur.*
7. *Impedientes Ordinarios Iudices Ecclesiasticos quo minus Iurisdictione sua vtantur sunt excommunicati, vt & recurrentes ad Cancellarias & alias Curias seculares.*
8. *A qua excommunicatione non absoluuntur antequam parti & Iudici satisfecerint.*
9. *Excōmunicatus est abscissus ab Ecclesia, extra quam non est salus.*

Senten-

Sententiam excommunicationis incurrere impedientes vel vsurpantes Iurisdictionem quæ competit Ecclesiæ de iure vel 1.
consuetudine antiqua docet *textus in cap. Quoniam intelleximus, de Immun. Eccles. in 6. D. Tho. Canthuariensis relatus à Baronio tom. 12. Annal. anno 1166. nu. 39. Vgolin. tract. de Censuris Pontif. reser. p. 2. vers. ac etiam nu. 1. & seqq.* poteſtque Episcopus contra tales procedere ad declarationem Censurarum incursarum, *Vgolin. d. loco* § 3, & præter istam excommunicationem incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini, si eiusmodi Iurisdictio 2.
ad Ecclesiasticos spectet ratione Dignitatis Ecclesiasticæ, *Nauar. consil. 2 de Immunit. Eccles. nu. 1*, Verba Bullæ Cœnæ sunt in 17. excommunicatione: Quicumque Iurisdictiones & fructus „
reditus prouentus ad nos, & sedem Apostolicam & quascumque „
Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum „
pertinentes vsurpant, &c. quam excommunicationem esse Papæ reseruatam ostendit Concilium Triden. *De Reform. sess. 22. c. 11* à qua excommunicatione nemo exemptus est, etiamsi Regali 3.
splendore præfulgeat, teste Sayro. *in Thesauro Theolog. moral. lib. 3 cap. 25, nu. 10 & 11, Nauar. in Manuali cap. 27 in fi.* poteſtque Officialis Ecclesiasticus, declarare tales in excommunicationem 4.
Papæ reseruatam incidisse *Vgolinus tract. de Censuris Papæ reseruatis part. 2, vers. ac etiam nu. 1. & seqq. fol. 399.* Eandem excommunicationem incurrunt qui bona secularia, quibus Iurisdictio 5.
temporalis competebat per donationem, vel aliter vsurpant *Nauar. d. consil. 2, nu. 2.* bona enim temporalia annexa Ecclesiæ mutarunt statum, *Petrus à Monte in Monach. Consil. quæst. nu. 4*, id quod fusè ostendi supra cap. xvj.

Porrò, ille dicitur vsurpare, qui sibi vindicat id quod ad eum non pertinet *glo. in c. multi 2, q. 1*, cuius termini significatũ quoad 6.
præsentem materiam optimè explicat Vgolin *cap. 17. nu. 4.* & quod vsurpantes iura Ecclesiastica tanquam sacrilegi iudicantur, est text. *in cap. conquestus, de foro compet*, præsertim si auctoritati-

uè &

uè & potestate vsurpata, quo modo solent Domini, bona Ecclesiæ vsurpare, id faciant, *Greg. Sayrus in Besan casuum conscien. lib. 3. c 21 in fi.* & non solum vsurpantes innodantur excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini, sed etiam quomodolibet impedientes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque inferiores Prælatos,
7. & omnes aliosq; quoscũque Iudices Ecclesiasticos ordinarios, quo minus sua Iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, ac etiam eos qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis mandata pœnalia ordinarijs, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant,
8. vt habetur in excommunicat. Bullæ Cœnæ. 16. à qua excommunicatione non absoluuntur antequã parti & Iudici Ecclesiastico satisfecerint. *Aufrer. de Potest secul. sup. Eccles. cas. 79. Oceani 14. fol. 404.* Imò seculares consuetudinem, seu Iurisdictionem, exercentes contra libertatem Ecclesiasticam, seu contra personas Ecclesiæ vel eius bona, sunt quoque excommunicati, & subiacent bãno Imperiali, & ipsa statuta & consuetudines in contrariũ non valẽt *c. Ecclesia S. Mariæ de Constit. Auth. Cassa, de sacros. Eccles. Bald. Cons. 367,* & iurari poterit in litem contra Principes & Respub. seculares & alios Iudices & Magistratus seculares qui personas Ecclesiasticas condemnant in causis ciuilibus vel criminalibus, vel ponunt in bannum, vel exilium, vel alium actum Iurisdictionis contra eas faciunt, vel bona eorum vsurpant, seu contra libertatem Ecclesiæ faciunt, vel alium exercent actum qui sit contra libertatem Ecclesiasticam, & ex iuramento in litem præstando per ipsam personam Ecclesiasticam contra ipsos Principes vel Respub. vel Iudices & alios probabuntur expensę, damna, & interesse eiusdem personæ Ecclesiasticæ in quibus præmissi debẽt condẽnari *text. in c. olim de Iureiur. & dam. dat Bald. d. cons. 367, Plot. tract, de in litem iuran. §. 46, nu. 7.* Atque hæc excommunicatio-

catio tantò magis apud timoratæ conſcientiæ præſertim viros timenda eſt, quo excommunicatus præciſus ſit ab Eccleſia, extra quam non eſt ſalus: Imò diabolo traditus ſit, *cap. omnis Christianus 11. quæſt. 3*, Sicut enim præciſus ramus ab arbore non viuit, ita & illi qui ab Eccleſia ſunt ſeparati *cap. Ipſa pietas, 23. q. 4. Binsfeldius in Enchridio Paſtorali part. 6, c. 1.* 9.

CAP. XXIX.

Nulli quacumque auctoritate aut priuilegio polleant eximere ſe poſſunt à Cenſuris Bullæ Cœnæ Domini.

SVMMARIVM.

1. *Principes non poſſunt ſe eximere à Cenſuris Bullæ Cœnæ Domini.*
2. *Priuilegium ſi quod datum eſſet à Papa ne quis excommunicaretur, nullum eſſet.*
3. *Conſtantini Magni inſigne dictum.*
4. *Theodoſium Imperatorem excommunicat D. Ambroſius.*
5. *Henricum Regem Gregorius VII excommunicat.*
6. *Priuilegium Principi conceſſum ne excommunicetur, poteſt quandocumque reuocari.*
7. *Henricus Germaniæ Rex excommunicatur & ſepultura Eccleſiaſtica priuatur.*
8. *Imperium Orientis tranſlatum in Occidentem ob vſurpatam Eccleſiæ Iuriſdictionem.*
9. *Donatiſtæ hæretici primi fuêre qui à ſententijs Epiſcoporum appellarent ad Imperatores.*

PRincipes nequaquã poſſunt ſe eximere à Cenſuris Bullæ Cœnæ Domini: auctor eſt Ill. Card. Bellarminus *tract. de poteſt.* 1.
S. Pontif. in temporal. aduerſus Barclaium cap. 5. quia Pontifex eſt

gregis totius Pastor & toti familiæ Præpositus & Caput vice Christi totius corporis Ecclesiæ: vnde potest ligare omnes oues totius gregis, & omnes conseruos qui sunt in familia, & omnia membra quæ sunt in corpore. Neque excipiuntur Imperatores & Reges, nisi velint excipi à numero ouium Christi & seruorum Christi & membrorum corporis Christi, *Bellarmin. dicto tract.*
„ *aduersus Berclaium, cap.* 5. Allucent ista B. Gregorij *epist.* 7. Qui
„ dicit (inquit) se aliquo priuilegio excommunicari non posse con-
„ sequenter necesse est etiam vt dicat, se absolui ab Ecclesia non
„ posse. Imò, quod magis est, si quod priuilegium esset à Ponti-
2. fice concessum alicui Principi ne excommunicaretur, tale priuilegium esset nullius momenti, nec attendendum, *Roder. Episc. Semeren. tract. de origine Principatus part. 2. charta 77. §. verum, Restaurus tract. de Imperatore quæst. 50. nu. 32. quæst. 3. casu 77. per cap. cum instantia ibi DD. de censib. cap. per Venerabilem. Qui filij sint legitimi, Abb. in d. cap. cum instantia*, vbi habetur, quod te-
„ neat pro indubitato Papam non posse aliquem priuilegiare (eius
„ sunt verba) vt non possit excommunicari: quia cum Papa teneat
„ locum Dei in terris, non debet aliquem eximere à sua potesta-
„ te, cum per hoc eximeretur à potestate Dei. Vndè contra po-
„ testatem Papæ non valet præscriptio, vt not. Innocen. *in cap. bonæ. 2. de Postul. Prælat.* Ita ille. Censentque idem Felij. *in c. cum non liceat nu. 14. de Præscript.* & Gonzales *ad Reg. viij. Cancellar in proem. §. 2. nu. 17. & seqq.* Restaur. Castald. *tract. de Imperatore quæst. 55. oceani vol 12. fol. 45. pag. 2.* & ratio est ne in Ecclesia Dei dentur acephali, *Abb. in d. cap. per venerabilem nu. 9. & 37.* tum etiam, ne sit in manu Pontificis claues à se abijcere, & manus sibi ligare, *cap. inuoluit de electio. Sayra tom. 1. Theol. Moral. lib. 5. c. 10. nu. 12.* Quod si Reges & Imperatores à Pōtificali iudicio eximere tentaueris, recurre ad Magnum Imperatorem Constantinum qui in Nicæno Concilio præsente Papa Siluestro per lega-
3. „ tos hæc verba habuisse legitur: Vos inquit, Episcopi à solo Domi-
„ no iudicandi estis. Non ait, ego, & vos, à solo Domino iudicandi

sumus. Cum enim solos excludat Episcopos, se proculdubio & omnes Reges Ecclesiasticæ subijcit potestati. Nunquid culpas fa- 4.
ctum sanctissimi Doctoris Ambrosij, qui Theodosiũ Imperatorẽ ob suam culpam excõmunicauit? nunquid incusas Gregoriũ VII. 5.
qui Regem Henricũ ob sua scelera dãnauit?

Quæ conclusio vsque adeò vera est, vt etiamsi prætenderétur priuilegia remuneratoria, aut per viam cõtractus exempti Principes à Censuris, posset nihilominus Põtifex vti sua potestate, & eiusmodi priuilegia, iusta ex causa reuocare, nec aduersus pote- 6.
statẽ ea reuocãdi, vlla præscriptio currit, *Bald. c. sicut col. 3. Iureiur. Nicol. de vbald. tract. de success. ab intest. part. in vlt. mod. legitim. col.* 1. *Erasm. à Chokier frater meus tract. de exempt, part. 3. q. 1. nu. 2 & 3 & part. 4. q. vlt nu. 5.* qua de re alibi latius agemus, Deo iuuãte.

Maneat ergò Reges, Principes, & cęteras potestates seculi, aliosque omnes excõmunicari posse quantocũq; priuilegio suffultos qui Iurisdictionẽ vel immunitatẽ Ecclesiasticã violãt, aut interturbant, aut alia Ecclesiæ iura vsurpant, talesque Ecclesiastica sepultura, nisi resipiscãt priuandos esse. Exemplo sit idẽ Henricus 7.
Rex Germaniæ Schismaticus, qui quod sub pœna capitali impediret, quo minus appellationes interponerẽtur ad sedẽ Apostolicam, ab eodem Gregorio VII. anathematis pœna percussus fuit, teste Baronio *in Annal. anno Christi* 1084. ac quia in excõmunicatione è viuis in hac ipsa nostra Ciuitate Leod. anno Regni sui 50. decesserat, vt auctor est idẽ Baronius *sub annũ Christi 1106. tom. 12.* & D. Chapeauille Canonicus & Vicarius Leodiensis *tom. 2 annaliũ. c. 15.* hinc Leodiẽsibus, qui illũ in sua Ecclesia sepelierãt, mandauit vt illũ exhumarent, & in loco non cõsecrato deponerent, quia quibus viuis Ecclesia non cõmmnicat, *inquit Baron.* nec etiam mortuis cõmunicare potest. Spiram tamen postea delatus, caruit Ecclesiastica sepultura. Hic honos scilicet merito debetur hostibus Ecclesię, ac etiam Iudicibus, qui contra Ecclesiam pugnant, quos si in hac Diœcesi hoc tempore decederẽt, vtar verbis

Petri Rebuffi *ad Constit. reg. tract de Immun. Eccles. art* 1. *glo.* 1.
8. *nu.* 33, inter hircorum & canum morticinia sepelirem. Denique satis constat Orientis Imperium translatum in Occidẽtem, quod illius Imperatores Ecclesiam Orientalem pessumdarent, & Clericis sua iura non seruarent, sed eosdem Clericos ius à Laicis accipere iuberẽt, *Baron. anno Christi* 1148. *sub Eugenio III.* qui etiam *tom. tertio anno Christi* 314. scribit Donatistas hæreticos primos
9. fuisse qui à sententijs Episcoporum appellarent ad Imperatores, cuiusmodi appellationes recipere noluit Magnus ille Constantinus qui contra offerentes libellos, & tales appellationes introducere satagentes, exclamauit, *ô rabida furoris audacia!* ita Baronius dicto loco.

CAP. XXX.

Dissoluitur alia obiectio Dom. Cameralistarum: Officialem Leodieñ iudicare tanquam delegatum Principis Leodieñ, non autem Episcopi.

SVMMARIVM

1. *AB Episcopo seu Iudice Ecclesiastico iudicante in temporalibus ratione feudi, aut dignitatis acceptæ ab Imperatore, appellatur ad eundem, non superiorem Ecclesiasticum.*
2. *Officialis Leodiensis metitur Iurisdictionem suam tam à S. Pontifice, quam à iure Episcopi.*
3. *Ecclesiastica potestas est dignior potestate Laica.*
4. *Episcopus Princeps* Leodien. *quà Princeps transfert Iurisdictionem temporalem in Scabinos. Leodiensis, qui illam ab Impp. releuant.*
5. *Vacante Sede Episcopali Leodien. non vacat Iurisdictio Officialis.*
6. *Officialis Leodiensis Iurisdictionem suam non recognoscit ab vllo Superiore Laico.*
7. *A sententijs Officialis eiusque Commissarijs, appellari solet ad Metropolitanum, aut* Nuncium *Apostolicum.*

8. *Iurisdictio*

8. *Iurisdictio temporalis longa seu immemoriali præscriptione seu cõsuetudine acquiri potest, etiam aduersus Imperatorem,*
9. *Talis consuetudo habet vim constituti, concessionis, & priuilegij seu assensus Imperatoris.*
10. *Maximè, vbi assistunt alia adminicula iuris & facti.*
11. *Priuilegium Imperatoris Maximiliani I. Leodiensibus concessum.*
12. *Princeps alligatur contractui cum subditis inito.*
13. *Taxantur impetrantes mandata Cassatoria à Camera Spirensi quibus eluduntur Iudicata Ecclesiasticorum Iudicum.*
14. *Tales sunt notoriè excommunicati per Bullam Cœnæ Domini.*
15. *Impedientes Iurisdictionem Ecclesiasticam atque etiam recurrentes ad Cancellarias & alios Iudices seculares ab iisque mandata procurant, vel illa exequuntur, sunt excommunicati in Bulla Cœnæ Domini.*

RVrsum obijciunt qui stant à partibus Ecclesiasticæ Iurisdictioni aduersantibus, ab Officialis sententia inter laicos super re profana lata appellandum esse non ad Ecclesiasticum superiorem, sed profanũ Iudicem. Nam cum Officialis Leod. Iurisdictionẽ quã in profanis negotijs & inter personas profanas exercet, habeat sibi demãdatam à Ser.mo Episcopo & Principe Leod. qui Iurisdictionẽ temporalẽ recognoscit à Cæsare; sequi videtur appellandum esse ad eundem Cæsarem, & minimè ad Pontificem. Siquidem noti iuris est, ab Episcopo seu Iudice Ecclesiastico iudicante in temporalibus ratione feudi aut alterius dignitatis quam ab Imperatore recognoscit, ad eundem Imperatorem & non superiorem Ecclesiasticum esse prouocandum Bart. in *l. si quando nu. 3. C. de Appell.* vbi sic inquit; Si aliquis Episcopus habeat feudum vel Iurisdictionem à Principe & iudicat vigore illius Iurisdictionis, appellabitur ad Principem, non ad Papam, & hoc etiam tenent Canonistæ *in cap. 1. de feud.* ita ille: 1.

Verum, Respondetur Officialem Leodiensem metiri Iuris- 2.

dictionem suam, tum à summo Pontifice, tum à Iure Episcopo vigore consuetudinis præscriptæ, vel alias competente *text. in cap. Romana § debet de appellat. in 6. not. Bald. in auth. si quis. litigat. in vlt. not. C. de Episcop. audien. Ias. in l. 2. col. 3. vers. tertio limita de Iurisd. om iud.* hancque facultatem ab Episcopo Principe non quà Principe, sed Episcopo ei concessam.

3. Ecclesiastica enim potestas est dignior potestate laica, sicut aurum plumbo, & sicut luna lumen suum accipit à sole, ita laica potestas ab Ecclesiastica suam vim accipit. *Nauar. in cap. Nouit. not. 3. nu. 125.* & quando in eadem persona concurrit multiplex dignitas, attenditur dignior. *Restaurus Castald. tract. de Imperatore quæst. 42. nu. 4. Innocent. in cap. solitæ de maior. & obed. Ias. in l. Imperium. col. 3. ff. de Iurisd. om. ind.* & in terminis de appellando ab Episcopo Duce ad Ecclesiasticum eleganter tradit Auferius *de potest. Eccles. sup. laic. cas. 19. & 36.*

4. Accedit, quod Episcopus Princeps Leodiensis, quà Princeps transfert Iurisdictionem temporalem in alios seculares Iudices, nimirum Scabinos Leodienses, qui temporalem Principis Iurisdictionem accumulatiuè exercet, & illam à diuis Impp. releuant, & recognoscunt. Vnde vacante Episcopatu, vacat quoque & cessat Iurisdictio illa temporalis Scabinorum, tantisper dum Iu-
5. risdictio illa temporalis fuerit per Episcopum nouiter Electum ab ipso Cæsare releuata, & recognita; quod secus euenit in Officiali, qui occurrente iustitio morte Episcopi, non cessat in exercitio suæ Iurisdictionis Ecclesiasticę & temporalis, quã nunquam recognoscere ab Imperatoribus consueuit.

Cum autem recognoscit Episcopus Iurisdictionem, censetur facere respectu tantum sui, suorumq; Scabinorum, non respectu
6. Officialis, qui temporalem Iurisdictionem liberè, & absque vlla superioris secularis recognitione habet, & exercet, vti sæpius prænotauimus: à cuius sententijs in prima & secunda instantia, quando nimirum à suis Commissarijs & inferioribus Iudicibus ad ipsum appellatum fuit, iam à quadringentis, & quod excurrit an-

nis, appellari solet ad Metropolitanum, vel Nuncium Apostolicum, aut S. Sedem, vsusque iste interponendarum appellatio- 7.
num multis retrosæculis præscriptus est. explorati autem iuris est Iudicem Ecclesiasticum Iurisdictionem temporalem etiam Imperatori competentem longâ præscriptione & consuetudine antiquissima acquirere posse. *Abb. & DD. in c, licet ex suscepto, de foro* 8.
compet. Mandos. de inhibit. quæst. 47 nu. 7, Bald. in lib. 2, C. de seruit. & aqua, Caccialup. l. Imperium nu. 43. ff. de Iurisd. omn. iud. ex quo habeat eiusmodi immemorialis possessio vim constituti, concessionis, & priuilegij, seu assensus Cæsareæ suæ Majestatis, *text.* 9.
apertus in l. hoc iure § ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æstiua c. super quibusdam §. præterea de verb. signif. Gail. tract. de arrest. Imp. cap. 7. nu. 16. Mynsing. in obser. cent. 1, obseruatione 30, etiam ex certa scientia cõcessi, *Wesemb. consl. 45. nu. 36. & consl 60. nu. 1, & 2, part. 2*, quibus subscribit Reynerus Sixtinus Iurisconsultus Germanus *tract. de Regalibus lib. 1, c. 5, nu. 151*, maximè, vbi adsunt alia cum 10.
iuris scripti, tum priuilegiati adminicula iuris & facti, vti multifariam adesse in Officiali Leodiensi tam ex prædeductis ostensum est *per d. c. Romana § debet de appell. in 6.* quam ex priuilegio Imper. Maximiliani 24, Iunij 1518. Leodiensibus in Ciuitate Leo- 11.
diensi concesso his verbis: Omnes libertates, donationes, exemptiones, Statuta, mores, vsus, & consuetudines (notentur verba) legitimè & rationabiliter institutas, quarũ omnium tenores, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus insertæ forent, pro insertis, ac specialiter expressis habemus, & haberi volumus, motu proprio, ex certa scientia, & auctoritate nostra Romana, Cæsarea ac de eius plenitudine potestatis, confirmauimus, approbauimus & renouauimus, ac de nouo quatenus opus est concessimus.

Atque hoc priuilegiũ quod in contractũ abijt, reuocari non potest in præiudiciũ eorum quibus ius ex eo iam quæsitũ est. *Lud. Rom. Consl. 252, nu. 22*, vbi scribit Principem qui contractũ inter se, & subditum inijt, reuocare sine causa non posse *per not. glo. in c. ad Apostolicæ de Re iud. in 6. Ias. in l. si pecuniam nu. 16. Condit ob de caus.*

Quæ cum ita ſint, patet quanto impietatis crimine adſtricti
13. ſint qui mandata iſta Caſſatoria ad eludenda plerumque priora
Eccleſiaſticorum iudicata in præſentem ruinam & perniciem litigantium impetrant & procurant à Camera Spirenſi, in quos reuera ſeuerè animaduerti deberet, & in ipſos procedi tanquam publicæ pacis perturbatores & priuilegiorum infractores, vt & in nonnullos Aduocatos & Procuratores tanquam periuros ad priuationem ſui muneris, ac iuris Ciuici, quinimò tales ipſo facto in iſtam pœnam incidiſſe publico trium Ordinum patriæ decreto decernendum eſſet, præter excommunicationem nôtoriam,
14. quam incurrunt Bullæ Cœnæ Domini, à cuius Cenſuris nemo ſe eximere poteſt etiam quacumque dignitatis excellentia vel Regali & Imperatoria præfulgeat *Card. Bellarmin. tract. aduerſus Berclaium cap. 5. Fol. 77. infi.* Incidunt enim in excommunicationem Cœnæ Domini non ſolum impedientes Iudices Eccleſiaſticos quo minus Iuriſdictione ſua vtantur: ſed etiam recurrentes à Decretis Iudicum Eccleſiaſticorum ad Cancellarias & alios Iudices ſeculares, ab ijſque mandata procurant vel illa exequuntur contra Iudices Eccleſiaſticos, *Vgolinus de cenſuris Pontif. reſeru. parte 2. c. 16. §. 2.*

CAP. XXXI.

Soluitur & alia obiectio quâ dicitur ceſſare præſcriptionem vbi non adeſt ſcientia & patientia Principis contra quem præſcribitur.

SVMMARIVM.

1. IN *acquirendo aliquo ſuperioritatis iure requiritur ſcientia & patientia Domini ad quem pertinet territorium.*
2. *Subditi non poſſunt preſcribere exemptionem à iure ſupremæ prouocationis, ſed benè Papa.*

3. Licet

3. *Licet Vasallus & Dominus non possunt inuicem præscribere tamen hoc non extenditur ad tertios.*
4. *Papa Iurisdictionem in terris Imperij præscibere potest, & quidem priuatiuè.*
5. *Superioritas licet sit imprescriptibilis, iura tamen Principis sunt præscriptibilia.*
6. *Contentiosa Iurisdictio contra Imperium præscribi potest.*
7. *Prouocatio extrema ad iura Maiestatis non pertinet.*
8. *Aliquis præscribere potest vt Imperio non subsit.*
9. *Imperator Iurisdictionem habet à populo, licet hodie habeat ab Ecclesia cui fidelitatem promittit.*
10. *Immemorialis consuetudo tribuit Iurisdictionem etiam inter Dominum & Vasallum.*
11. *Quod multo magis obtinet, vbi agitur de iure quærendo Ecclesiæ.*
12. *In præscribenda Jurisdictionis exemptione non requiritur Cæsaris scientia.*
13. *Vbi de scientia Cæsaris dubitatur, imperium quæri potest vsu & consuetudine immemoriali.*
14. *Quod etiam procedit in ijs etiam Regalibus quæ reseruata sunt Imperatori.*
15. *Vbi nihil opponitur potest etiam omisso medio ad Superiorem eiusdem gradus Iudicem appellari.*
16. *Accedente vsu, & exercitio cum scientia & patientia conciliatur initium in formanda quasi possessione Iurisdictionis.*
17. *In consuetudine, seu præscriptione immemoriali, de causa aut titulo non quærendum, ex quo illa habeat vim tituli & priuilegij.*
18. *In præscribenda Iurisdictione aduersus Principem sufficit Officialium scientia.*
19. *Scientia Principis in eiusmodi præscriptione minus est probanda, etiamsi de eius præiudicio agatur.*
20. *Præscriptio immemorialis habet vim priuilegij.*

21. *Ex concessione libera facta Ecclesiæ, nihil concedenti censetur reseruatum.*
22. *Iurisdictio censetur reseruata totaliter.*
23. *Possessio seu quasi cessare facit quorumcumque Principum mandata.*
24. *Ne quidem rescripto Imperiali possessione sua quis priuari debet, maximè quando est immemorialis.*
25. *Multo magis id obtinere debet in Episcopo Principe Leodien.*

1. PArui etiam refert quod nonnulli malè animati in Iurisdictionem Ecclesiasticam, afferunt cõstare debere de scientia istius præscriptionis ab ipso Cæsare, ex quo in acquirendo aliquo superioritatis iure requiratur scientia & patientia Domini ad quem pertinet territorium *Petra. de fidei com. quæst. 12, nu. 298. And. Knichen de sublimi & Regio territorij iure cap. 8, nu. 127, Bald. in c. 1. nu. 3. Quæ sunt Regal. Rom, in l. S. denique nu. 5. & seq. ff. de aqua plu. arc.*

2. Nam respondetur 1. id verum esse respectu subditorum seu vasallorum, qui aduersus superioris maiestatem præscribere non possunt exemptionem à iure supremæ prouocationis, non autem respectu Pontificis qui ius rescribendi in causis prophanis inter merè prophanos, deque ijs cognoscendi tam per se quam suos delegatos præscribere potest, *Abb. Feli & alij in c. cum nobis nu. 3. de Præscript. & in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. Corset. de potest, Reg. quæst. 101. Oceani vol. 12.*

3. Ratio est, quia etiamsi supponeretur Vasallum & Dominum non posse inuicem præscribere, tamen hoc non extenditur ad tertios, ita vt tertius aliquis possit directum Dominium aduersus verum Dominum, sicut & Vasalli vtile Dominium per legitimam præscriptionem acquirere, quia nimirum in tertio cessat mutua illa correlatio, quæ est inter Dominum & Vasallum, propter quam inter correlatiuos regulariter excluditur præscriptio,

ita

ita limitat Modernus Parisien. *ad consuet. Parisien. tit.* 1. §. 7. *n.* 7. *&* 11. quod maximè obtinere debet in Papa, qui Iurisdictionem in terris Imperij præscribere potest. *Mandos. de Inhibit. quæst* 47, *nu.* 7. *Caccialup. in l. Imperium nu.* 3. *ff. de Iuris. omn. Iudicum* & quidem priuatiuè *Menoch. de Præsumpt. lib.* 2. *præsumpt.* 18. *nu.* 23. *vers. duodecimus est casus, quod fusius ostendimus supra cap. xviij.* 4.

Secundò, licet Superioritas sit imprǽscriptibilis, iura tamen 5.
Principis sunt præscriptibilia, ita vt contentiosa Iurisdictio contra Imperium præscribi possit, *Alber. in l. Imperium.* 12. *col. vers.* 6.
multum etiam dubitatur. ff. de Iurisd. om. iud. diuersa enim sunt forum sortiri, & subditum esse. *Castren. cons.* 44. *Videtur dicendum*
nu. 5. *vol.* 1. *Rol. à Valle. de luc. dot. quæst.* 15. *nu.* 24. accedit quod 7.
prouocatio extrema ad iura maiestatis non pertinet, si credendum Bodino *lib.* 2. *de Rep. c. vlt. sub finem.* Imò potest quis præ-
scribere vt Imperio non subsit. *Card. in clem. præsenti* 7. *q. de Cen.* 8.
ergo etiam Iurisdictio: quia Imperator Iurisdictionem habet à
populo. *Ang.* §. *si ab hostibus. Inst. quib. mod. ius pot. tol. Feli in c.* 9.
cum non liceat. nu. 10. *de Præscript.* licet hodie habeat ab Ecclesia, cui fidelitatem promittit. *Feli. d. nu.* 50. *per Clem. vnic. de Iureiur.*

Tertiò. Respondetur, etiamsi regulariter sublata esset præ-
scriptio inter Vasallum & Dominum, non tamen censeretur im- 10.
memorialis, *Rosental. tract. de feud. cap.* 9. *Conclus.* 97 *nu.* 37. *Mynsinger. Cons.* 48. *nu.* 9. *decad.* 5. *Modernus Parisien. ad Consuetudines tit.* 1. §. 7. *nu.* 12. qui iura prohibitiua interuersionis, possessionis & præscriptionis inter Vasallum & Dominum limitat, vt non procedant in præscriptione immemoriali, vtpote quæ habet vim constituti, & præsumptionem cuiusuis iusti tituli, *vulgata l.* 1. §. *fin. ff. de aqua plu. arc.* maximè vbi agitur de iure quærendo Ec-
clesiæ, *cap. Episcopum. in fi. de præscript. in* 6. *Ant. Gab. in communi-* 11.
bus opinionibus tit. de præscriptionibus, concl. 1. *nu.* 62. *Curt. Iun. Cons.* 158. *num* 12. *quem sequitur Iason in l. Imperium. num.* 21. *ff. de Iurisd. om. iud. Bossius tit. de Regal. num.* 21.

Ex quibus efficitur, non requiri in præscribendo Cęsaris scien-
12. tiam: quippè quæ etiam tanti temporis lapsu interuenisse præsumatur, vt postea dicemus. Quinimò ex tot annorum, ne dicam seculorum, curriculo, non subsecuta legitima contradictione, præsumitur patientia & sciẽtia, *Menoch cons. 100. nu. 5. Feli in c. cum non liceat nu. 12. de Præscript. Milis in Repert. verb. præscribi an possit.* vbi scribit, quod quando de patientia Principis dubitatur tunc
13. Imperium quæri potest vsu, & consuetudine tanti temporis cuius initij non existit memoria. Quod etiam procedit in ijs etiam regalibus quæ reseruata sunt Imperatori in recognitionem supre-
14. mæ potestatis eiusdem, *Rosental d. tract. cap. 4. Ioannes Ferrarius Montanus tract. de feud. lib. 5, cap. 7, vers. Igitur Regalia. Sixtinus de Regal. lib. 1, cap. 5, nu. 144*, Scribens hanc opinionem receptam esse in Camera Spirensi: Iuris enim est perspicui si nihil op-
15. ponatur, posse etiam omisso medio ad superiorem eiusdem gradus Iudicem appellari, quia sic videntur partes consentire, & Iurisdictionem prorogare, *Philip. Franc. in cap. dilecti, de Appellat.*
16. *Mynsing. lib. 1, obser. cam. obser. 67, in fi.* vbi dicit idem esse si consuetudo extaret appellandi omisso medio, quia valet appellatio, auctoritate consuetudinis.

Accedente igitur vsu & exercitio cum scientia & patientia, conciliatur initium in formanda quasi possessione Iurisdictionis
17. cuiuscumque, *Knichen d. tract. c. 3. nu. 133. & 143.* vbi dicit in consuetudine seu præscriptione immemoriali de causa aut titulo non quærendum: quia patientia superioris iustam causam præsupponit *l. 6. §. 1. ff. de acq. hæred. & l filius vlt. ff. de Petit. hæred. Pet. de Anchor. Cons. 142. nu. 2.* Imò expressæ concessioni, priuilegio, tituloque æquiparatur, eiusve auctoritatem tribuit. *Francis. Vegius cons. 20. nu. 5. Valasc, quæst. 8. nu. 36. de Iure Emphi.* suffi-
18. citque Officialium scientia & patientia. *Beccius cons. 15. nu. 8. Raudens. resp. 3. nu. 12. & seq.* Nam tam longus vsus præsumitur iustus, ex quo non constat de opposito. *Milis in Repert. verbo, præ-*

scribi

scribi an possit merum Imperium. Rosental. de feudis conclus. 3. & cap. 5. cap. 4. conclus. 16. vbi scribit ex cõmuni recepta, & veriori opinione ne quidem scientiam Imperatoris probandam esse: quia effluxo tempore immemoriali, Imperatoris scientia præsumitur, etiamsi de eius præiudicio agatur. 19.

Accedit quod hæc præscriptio vim priuilegij ex certa scientia concessa habere dicatur, *Alex. consil. 6, lib. 1, Curt. iun. consil. 158. nu. 12. quem sequitur Ias. in l. Imperium nu. 20, ff. de Iurisd. Ægid. Boss. t. de Regal. nu. 21, Balb. de Præscript. pag. 2. part. 5, pr. q. 3, Alex. cons. 6, nu. 4, lib. 1. & cons. 496, nu. 5, Grauetta cons. 54. nu. 8, Rol. à Valle cons. 91, nu. 15, vol. 2, Ant. Gabriel tract. com. conclus. tit. de Præscript. nu. 61, lib. 5.* præsertim cum titulum habeat ex libera concessione & donatione Imperatoris, vti ex Reliuio Adolphi Episcopi Leodiensis, ante 300. & quod excurrit annos, facto, quod in cap. xvij. insertum est conuincitur. 20.

Iuris est autem explorati ex concessione libera facta Ecclesiæ nihil concedenti censeri reseruatũ, *Barbat. in c. verum, de foro cõpet. nu. 69, Card. Tuschus tract. conclus. 41, nu. 40.* vbi etiã ex Feli. *in cap. solitæ nu. 4, vers. quantum, de maior. & obed.* dicit quod in dubio censetur Iurisdictio concessa Ecclesiæ totaliter; Idem sentit Io. And. *in addit. ad Specul. tit. de Iurisd. om. iud. incip. Vidisti duas. Abb. in c. veniens, de accusat. alia eiusdem farinæ argumenta videantur supra cap. xviij in fine.* 21. 22.

Vtcumque sit, Episcopus Princeps Leodiensis saltem sua possessione priuari non deberet: quia possessio seu quasi, facit etiam silere quorumcumque Principum mandata & Rescripta, *Wesemb. Cons. 60, nu. 2. & 3. part. 3,* adeò vt ne quidem Rescripto Imperiali quis in possessione sua turbari, multo minus ea priuari debeat, *l. fin. C. si per vim. vel alio. c. 2. de sequast. possess. & fruct. Gail. lib. 1, obser. 147, nu. 2,* præsertim vbi immemorialis est, quæ sufficientem inducit tituli probationem. *Couar lib. 2. Var. Resol. cap. 17, nu. 5, in fi:* accedente etiam Regalium concessione quam Imperator facit 23. 24.

Principi Episcopo Leodiensi nouiter Electo. Nam per eam censetur omnem Iurisdictionem à se abdicare *Rosental. d. tract. de feud. lib. 5. conclus. 14. nu. 2. de quo supra diximus proprio capite, vti latius supra ostendimus cap. xvij. & xviij.*

CAP. XXXII.

Alia insuper obiectio tollitur, quâ dicitur Officialem Leodien. habere ab Imperatore in feudum suam Iurisdictionem.

SVMMARIVM.

1. *A Sententia Iudicis Ecclesiastici habentis Iurisdictionem in feudum, appellatur ad Dominum feudi etiam laicum.*
2. *Talis iurisdictio censetur data cumulatiuè.*
3. *Donatio facta Ecclesiæ ab Imperatore est interpretanda in eius præiudicium, ita vt priuatiuè concessa videatur iurisdictio.*
4. *Iurisdictio laica translata in Ecclesiasticum fit Ecclesiastica.*
5. *Per sententiam Pauli II. declaratur* Leodiensibus *competere omnimodam Iurisdictionem tam in spiritualibus, quam temporalibus.*
6. *Immemorialis consuetudo habet vim priuilegij & tituli.*
7. *Positiua consuetudo vel præscriptio assignant iurisdictionem.*
8. *Maximè vbi adest prorogatio.*
9. *Causa semel prorogata coram Iudice Ecclesiastico semper manet Ecclesiastica in quacumque instantia.*
10. *Appellationes interpositæ à sententijs D. Officialis Leodien. & aliorum Iudicum Apostolicorum ad Cameram Spirensem de iure & consuetudine non subsistunt.*
11. *Appellatio interposita omisso medio remittenda est expensis appellantis: quod fallit in Papa, qui omisso medio appellari potest.*

Trala-

TRalatium est à sententia Iudicis Ecclesiastici habentis Iurisdictionem in feudum, debere appellari ad Dominum 1.
feudi illud concedentem etiamsi ille sit secularis, *abb. in cap. fin. in fi. nu. 5. de Delict. puer. Ant. Capijc. decis. Neapol. 137. incip. in causa Iurisdictionis. Decius in Rub. de appellat. col. pen. & fin. vers. sexto quaritur,* vbi scribit, quod si ab Episcopo fertur sententia in causa feudi appellatur ad superiorem feudi etiam laicum non au-
tem ad Ecclesiasticum. Porrò talis Iurisdictio censetur data accu- 2.
mulatiuè non priuatiuè. *Tho. Grammat. decis. 30, incip. in causa excellentis. nu. 1, & 3, & Voto 28. Ludo. Roman. cons. 393. Albert Brung. cons. 47. nu. 5. Bart. in l. 1, not. 1 de offic. præs.*

Verum respondeo illud non obtinere in Officiali Leodiensi, tum quia is non recognoscit Iurisdictionem suam temporalem in feudum ab Imperatore ex quo ipsius donatio fuerit simplex & libera, vt patet supra cap. 16, & 17, ex Reliuij formula Guidonis Episcopi Leodiensis, ibi, *de liberalitate Regia &c, concessimus.* & aliorum antecessorum, tum quia donatio facta Ecclesiæ ab Im-
peratore est interpretanda in eius præiudicium ita vt priuatiuè 3.
concessa videatur, *Gratianus discept. foren. tom 1. cap. 154, n. 35, & seq. Roland. cons. 85, nu. 18, Cephal. cons. 369, nu. 73,* quod & multis argumentis & auctoritatibus iuris petitis à Farinacio, *cons. 198, nu. 6. superius cap. 17, & 20,* probauimus: tum quia Iurisdictio laica
transslata in Ecclesiasticos, fit Ecclesiastica *Feli. in c. licet 10, nu. 1,* 4.
in fi. de foro comp. fol. 37, & in terminis *in cap. Solita nu. 4, de Maiorit. & obed.* & ibi idem Feli, vbi dicit quod quãdo bona sunt translata in Ecclesiam. tunc ab Episcopo iudicante appelletur ad Archiepiscopum, & non ad Iudicem secularem.

Confirmantur prædicta per sententiam Pauli secundi *anno* 5.
Christi 1466. quia declaratur Leodiensibus competere omnimodam Iurisdictionem, tam in Spiritualibus, quam in temporalibus, *vti supra cap. 16. in fine ostendimus.*

Sed quicquid sit, de iure exploratissimum est ex inueterata & imme-

immemoriali consuetudine, quæ vim habet tituli & priuilegij *l. 1, § fin. ibi DD. ff. de aqua plu. arcen. Ceuall. tract. de Vi & vi arm. in Proem. cap. 10. nu 26. & 30.* caussas profanas esse de foro Curiæ Episcopalis, quæ caussæ etiam per appellationem deuoluuntur ad Superiores Ecclesiasticos nimirum Metropolitanũ, vel S. Sedem, illiusve Nuncios missos vel mittẽdos. Et pro hac parte stat Regula, quod positiua consuetudo vel præscriptio assignant Iurisdictionem. *Couar. in cap. possessor part. 2, § 3, nu. 3, & seq. de Reg. iur. in 6, Roman. & Imol. in d. § fin. text. in l. Vnica C. de diuers. offic. lib. 12, cap. Cum contingat ibi DD. de offi. deleg. lib. 1.* Maximè vbi accedit prorogatio *Cuiacius in Parat. Cod. tit. de Episcop. audien. ibi nisi inter consentientes cuius Cuiacij inibi dictis alibi respondebimus. Wamès. cons. 67, nu. 7. de Iudic.* nam caũsa semel prorogata coram Iudice Ecclesiastico, semper manet Ecclesiastica, & per solum Iudicem Ecclesiasticum cognoscenda in quacumque Instantia, *eleg. Wamès. d. cons. 67. nu. 8, de Iudic. vol 1.* quod latius supra proprio cap. xxvj. ostendimus.

Ex quo sequitur appellationes interpositas à sententijs D. Officialis Leodieñ nec non aliorum Iudicum Apostolicorum ad Cameram Cæsaream de iure & consuetudine non subsistere, non obstante qualitate causæ profanæ; & mandata cassatoria nullo iure, nullaque ratione defendi posse *d. l. Vnica, & ibi DD. supra citati*, præsertim quando per saltum appellatur.

Nam dato, sed nullo modo concesso, quod à sententia Officialis lata inter profanos & de re profana, ad superiorem secularem, appellandum esset, adhuc tamen recta appellari non posset ad Cameram, sed gradatim ad Concilium ordinarium, quod est Iudex secundæ instantiæ, & demum à Concilio ad Cameram & quidem in ijs duntaxat causis quæ taxam excedunt, vti supra cap. 25. memorauimus. Et in tali euentu appellatio interposita omisso medio remittenda est expensis appellantis ad Iudicem superiorem illius qui iudicauit *l. Imperatores, ff. de appellat. Frãcis. Mingon.*

ad

ad Consuet. Andegauenses. part. 2. tit. Des preuentions. art. 65. nu. 24. fol. 27, quod fallit in Papa, qui omissis medijs appellari potest. *cap. si duobus c. sollicitudinem. de appellat. Wames. cons.* 174. *nu.* 2. *de appellat. & consil* 175. *nu.* 3. *d. tit.*

CAP. XXXIII.

Respondetur nonnullis obiectionibus Consistorij Spirensis.

SVMMARIVM.

1. *Proponuntur sex querimoniarum Capita Dominorum de Camera contra Nuncios Apostolicos, & Ecclesiasticam Iurisdictionem, quibus respondetur.*
2. *Qui iure suo vtitur nemini facit iniuriam.*
3. *Territorio est annexa iurisdictio, & illo concesso haec etiam data censetur.*
4. *Gradatim appellandum est ad Iudices superiores Ecclesiasticos.*
5. *Canones ac Concilium Triden. praescribit tempus finiendarum litium.*
6. *Lites viuaces & immortales in Camera teste Mindano.*
7. *Interest Resp. lites non protrahi.*
8. *Causae non finitae intra tempus fatale, pro desertis habentur.*
9. *Tempus Fatale non currit in Camera.*
10. *Iurisdictio confunditur si ab vna potestate ad aliam per saltum appelletur.*
11. *Interesse pecuniarum Caesaris nullum subest si causae per appellationem ab Ecclesiasticis Iudicibus ad alios superiores item Ecclesiasticos interponantur.*
12. *Camera Spirensis cur non debeat relaxare Mandata Cassatoria contra sententias à Iudicibus Ecclesiasticis latas.*
13. *Exceptio consuetudinis praescriptae attenditur in Camera.*

V 14. Con-

14. *Constitutio Imperij edita anno 1555. tribuit Ordinarijs locorum Iurisdictionem.*
15. *Exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis.*
16. *Consuetudines appellandi in patria Leodiensi confirmat inuictissimus Imperator Maximilianus.*
17. *Imperator est tutor, defensor, & protector Pontificum & iurium S. R. Ecclesiæ.*
18. *Nouum inuentum non est appellare à sententijs Iudicum Ecclesiasticorum, Romam.*
19. *Cæsarum Constitutiones ad Iurisdictionem Ecclesiasticam extendi non possunt.*
20. *Conseruator inhibere non potest Iudici Laico in causis profanis inter merè profanos.*
21. *Conseruatores sunt delegati Papæ.*
22. *Omni æuo & ex omnibus Orbis prouincijs appellationes ad Sedem Apostolicam delatæ sunt.*
23. *Hispania regnum Saracenis traditum non quia in fide, sed Iurisdictione à S. Sede defecerat.*
24. *Principes Ecclesiasticam Iurisdictionem opprimentes Imperiorum suorum ruinam arcessunt.*

AD litteras suæ Cæsareæ Maiestatis de data 26. octobris 1625. quibus conqueruntur Domini Cameralistæ.

1. 1. Quod Nuncius Apostolicus in Archiepiscopatu Coloniensi & Episcopatu Leodiensi tam ciuiles quam criminales causas apud illorum Officiales introductas per viam appellationis ad se attrahere in detrimentum suæ Cæsareæ Maiestatis, & quater, quinquies, sexies & amplius, Ecclesiasticis personis subdelegare committereque non desinit, & exinde Romæ vbi eiusdem status personis per non pauciores instantias causæ committuntur, ac pluribus æuis ventilantur.

2. Vnde fit vt negotia tot instantijs & commissionibus multorum

rum annorum ſpacio indeciſa detineantur, ac ſubditi Romani Imperij multiplicatis litibus bonis ſuis exuantur, Iuriſdictiones confundantur, & in ciuilibus & profanis rebus appellare ad Nuncium, & S. Sedem, ibidemque litigare cogantur, pecuniæ etiam extrà Imperium & Germaniam deferantur, obedientes & fideles Imperij à ſua debita deuotione abſtrahantur, ſuæ Cæſareæ Maieſtatis reputatio, & celſitudo tollitur, aut certè imminuitur.

3. Ac vt Nuncij Apoſtolici ſuam Iuriſdictionē in Imperium vlterius extendant, conati ſunt in Epiſcopatu Leodienſi nuper à ſua ſanctitate Conſeruatorias litteras die 30, Auguſti 1625, obtinere, per quas tam in ciuilibus, profanis & mixtis, quam ſpiritualibus cauſis ab Officiali ad Nuncium & gradatim Romam è directò contra conceſſiones inclytæ memoriæ Maximiliani I. de data 24, Iunij 1518, & Caroli V. de data 27, Iulij 1521, appellare cuilibet innoxiè licitum eſſet.

4. Summoperè timendum eſſe, quod ſi Papalibus Nuncijs & Officialibus, tot reſpectus Romano Imperio ſubſtrahere permittatur, id apud multos Imperij Status inęquales opiniones & cogitationes excitaturum eſt.

5. Hinc præueniendo dicta mala, cenſent Domini de Camera iuxta Caroli V. Inhibitiones de Conſeruatorijs à ſua ſanctitate emanatis nullam Iuriſdictionem ſeu cognitionem Eccleſiaſticos Iudices prætendere poſſe, & Cæſaream Iuriſdictionem mandatis pœnalibus defendendam, quemadmodum pro intereſſe ſuæ Cæſareæ Maieſtatis ipſi tenentur.

6. Quinimò, ex Conſtitutione moderni Cæſaris inuictiſſimi Ferdinandi II. inſtante illius fiſco die 7. Ianuarij 1626. conſtat conformiter cum Carolo V. prouiſum ac mandatum, quod omnes & ſinguli ſubditi & incolæ Patriæ Leodienſis, debeant coram ſuo proprio Iudice, ac Iuſtitia ordinaria ſpirituali, vel ſeculari tractari, iurique ſtare, & Actores forum ordinarium Reorum ſequi, quodque nulli Conſeruatores, aut alij quicumque Iudices ſeu

Executores vigore Conseruatoriarum, aut Rescriptorum quorumlibet, possint aut debeant aliquam cognitionem Iurisdictionemque seu executionem in causis profanis, realibus, vel feudalibus, inter & contra personas laicas suscipere, vel exercere, cassatque & reuocat quascumque litteras Conseruatorias in præiudicium Imperij procuratas.

Hæc sunt præcipua querimoniarum capita, quibus nonnulli
1. Cameræ Conscripti, tanquam Aiacis clypeo vtuntur aduersus Ecclesiasticorum Iurisdictionem temporalem, quibus necessario respondendum est, ne si silentio prætereamus, vel illas fateri, vel probrum Ecclesiasticis illatum admittere videamur. Hoc sensu
„ inquiebat S. Augustinus *lib.* 11, *de ciuitate Dei, cap. ix.* Iudicis ac
„ Magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non
„ poëtarum ingenijs, habere debemus: nec probrum audire, nisi
„ ea lege vt respondere liceat & iudicio defendere.

2. Ad primum itaque respondeo cum illo vulgari iuris axiomate: Qui iure suo vtitur nemini facere iniuriã. Si Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Nuncij Apostolici ad inferiores partes Rheni à S. Sede missi committant sæpius appellationum causas à sententijs per Officiales Episcoporum Principum Electorum Germaniæ latis, personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, faciunt quod sui muneris est, vtendo iure quod competit Episcopis ter-
3. ritorium habentibus, cui territorio annexa est iurisdictio, teste Valasc. *de iure Emphyt.* 1719. *nu.* 21. *& seqq.* quam exercere possunt in omnes subditos, & in omnes territorij sui res singulas, & in omnes exortas causarum species, tam Ecclesiasticas, ciuiles, & pecuniarias, quam criminales, tam reales, quam personales, tam petitorij, quam possessorij Iudicij, vt supra multoties ostendimus. Nam concesso territorio concessa etiam censetur Iurisdictio, cum territorium referatur ad iurisdictionem *l. Pupillus* §. *territorium l. Princeps. ff. de verb. signif. cap. cum Episcopus de. off. ord.*
4. *cap. Romana*, §. *debet. de appellat. in 6*. vbi respondet Pontifex, debere

bere appellari ab Episcopis in causis in quibus Iurisdictionem temporalem exercent, ad Archiepiscopos, & sic gradatim appellandum sit ad Iudices superiores Ecclesiasticos *l. Imperatores. ff. de appellat. l. præcipimus, ff. eod. cap. Anteriorum. 26. q. 6*. Nimirum à tribunali Ecclesiastico ad aliud, etiam in causis profanis, & inter profanos, vt latius ostendi supra cap. xij. maximè vbi consuetudo adminiculatur, vt hic, quæ ita antiqua est, vt omnem omninò hominum memoriam superet, imò videatur cum sede Episcopali Leodiensi & Archiepiscopali Coloniensi originem sumpsisse, sub quarum erectione vigebat constitutio Caroli magni ad Ablanium Præfectum de qua supra cap. vj.

Cæterum quod dicitur cumulari plures instantias causarum coram Iudicibus Ecclesiasticis, nullam meretur considerationem 5. cum Sacri Canones, *c. finem litibus & c. fin. de dolo & contum. c. 2. de re iud. c. constitutus. de Procurat.* & S. Concilium Tridentinum *seß. 24. cap. 20. de Reform.* impediat litium protelationes: statuit enim causas omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes in prima instantia coram Ordinarijs locorum duntaxat cognoscendas: atque omninò saltem infra biennium à die motæ litis terminandas: alioquin post id spacium liberum sit partibus vel alteri illarum, Iudices superiores, alias tamen competentes, adire, qui causam in eo statu assumant & quamprimum terminari curent. Et in seß. 25. c. 10. eadem Sancta Synodus admonet tam Ordinarios, quam alios quoscumque Iudices, vt terminandis causis quanta fieri poterit breuitate studeant, ac litigatorum artibus quacumque ratione occurrant. Neque vero est tanta litium re- 6. mora qualem non satis æquo penicillo depingunt Cameræ consulti, quin præ dilationibus ibi concedi solitis & litibus viuacibus vt ipsemet Mindanus loquitur, *lib. 2. de processibus & mand. in Camer. extrah. lib. 2. cap. 27. nu. 6*. nullæ debeant dici in Consistorijs Ecclesiasticis protelationes, cum exactè seruetur Clemen. vt calumnijs de sent. & re iud. nec non aliæ Pontificum

Constitutiones supra citatæ.

7 Ad secundam respondetur Reipublicæ quidem interesse, lites non protrahi. *l. quidā existimauerunt. ff. si cert. pet.* verū negamus, per appellationes ad Iudices Pontificios protelari lites vltra bienniū,

8. quod est fatale prosequendæ & introducendæ appellationis à iure statutum, quo exacto nisi de impedimentis legitime doceatur, causa habetur pro deserta, & sententia à qua transit in rem iudicatam. *text. in Auth. Ei qui. C. de Temp. appell. & in l. fin. §. illud C. eod. tit. cap. oblatæ. §. licet igitur. & in cap. cum sit Romana, de*

9. *appellatio. ibi Abb. & alij.* quod tamen tempus fatale non currit in Camera *And. Gail. lib. 1. obser. Camer. cap. 128. nu. 30.*

Cæterū quod Domini Cameristæ dicunt confundi Iurisdictiones per eiusmodi appellationes, retorquendo; Respondemus ordinem Iudiciarium planè confundi si ab vna potestate ad aliam per saltum appelletur, *d. cap. Anteriorum. cap. dilecti. de appellationibus. Pet. Gregorij de appellatio. lib. 5. cap. 9. nu.* 11. quod accideret si ab Ecclesiastico Iudice ad secularem appellaretur vt diximus. supra cap. xvij.

10. Multo minus releuans est quod additur, pecunias extra Imperium & Germaniam deferri: quia notum est Illustrissimos Nuncios Apostolicos quidquid honorarij percipiunt in cognoscendis causis, id ex facili in ijsdem partibus, præter pensiones quas à S. Sede accipiunt, quin & patrimoniales census insumere, idemque dicendum de Iudicibus delegatis qui vel Leodij, vel Coloniæ residentiam & domicilium fouent.

Porrò, quod subijcitur obedientes & fideles Imperij à debita deuotione quam Cæsari debent abstrahi, id à vero alienum videtur, cum nūquam animaduersum sit Leodienses ex eiusmodi prouocationibus ad superiores Ecclesiasticos Cæsaris obedientiam excussisse, prout quoque nullum videtur relucêre Cæsareæ suæ Majestati eiusve auctoritati præiudicium si causæ istæ ciuiles & profanæ inter merè profanos, coram Officiali Leodieñ in-

tentatæ per appellationem interponantur coram Iudicibus Ecclesiasticis: nam si pecuniarium interesse consideremus cum in 11.
prima & secunda instantia non cognoscat Cæsar eiusve Consistorium, in tertia verò cum ex 100. aut 200. causis non sit vna cuius summa taxam ordinatam excedat mille ducatorum auri in realibus, & 600. in personalibus, equidem non video qua in re grauetur Cæsar.

Vt sanè admiratione digna res est, quo iure Consistorium Spirense ad quod alioqui ceu ad sacram Iustitiæ anchoram litigatores in certis causis recurrere solent, postquam ipsi pluribus annis diuersos litium anfractus experti & ijs fatigati ad inediamque redacti mandata pœnalia sine clausula, cassatoria & inhibitoria contra iuris formam, contra auctoritatem S. Sedis, & illius Nunciorum in partibus Rhenanis existentium in re Iurisdictionis Eccle- 12.
siasticæ multis retro sæculis ante Consistorium stabilitæ, spretis etiam nedum sacris Ecclesiæ ac Bullæ Cœnæ Domini censuris, verum etiam Constitutionibus Arcadij & Honorij Impp. in l. 9. C. de Episc. aud. & Caroli Magni, supra cap. vj. relata, nec non priuilegij longissima consuetudine acquisitis contra illos relaxet, non sine Prouinciarum & Ciuitatum querimonijs & obtrectationibus, pauperum etiam execrationibus & maledictis: & re vera nollet aut deberet Camera Imperialis iura Ecclesiæ multimodis à Cæsare & Principibus Christianis agnita dissoluere ac infringere per eiusmodi mandata cassatoria. Decis. Cameræ lib. 10. decis. 63. si benè & competenter informata esset de Iuribus Ecclesiæ Leodien. & exceptione dictæ notoriæ consuetudinis multis ante actis seculis præscriptæ. Nam non ita pridem in causa Gertrudis 13.
de Fleron contra Abbatissam & Conuentũ Vallis nostræ Dominæ prope Hoyum anno videlicet 1626. Martij 17. & in alia Pollar, contra Viller Leodien. & superioribus annis nimirum 1594. Augusti 24. in alia appellationis causa inter Adolphum von Detz contra Hubertum von Buchel à Decano SS. Apostolorum Colonien.

lonien. Iudice Apostolicè delegato ad dictam Cameram interpositæ. Denique in alia appellationis causa anno 1587. inter Franciscum Hense appellantem, contra Ioannem Delen Treuirenses, admissa fuit dicta exceptio consuetudinis, & reuocati processus cum inhibitione, atque adeo mandata cassatoria circumducta, causæque & partes remissæ vel ad Officiales, vel Iudices Pontificios, maximè vbi constabat partes coram ijs prorogasse, quo casu res est extra omnem disputationis aleam, *Wintzlerus tract. de Iurisd. Episcoporum Germaniæ cap. 42.*

14. Et quidni admitterentur eiusmodi exceptiones ac remitterentur causæ ad proprios Ecclesiasticos Iudices? ex quo in Constitutione Imperij edita anno 1555. de pacificatione religionis inter alia statuatur quod contra Imperij Status qui Augustanæ sunt confessionis Ecclesiastica Iurisdictio exerceri non debeat in causis religionem ipsorum & Ecclesiarum ordinationes, cærimonias & ministerium concernentibus; sed in alijs casibus & causis exerceri poterit Ecclesiastica Iurisdictio per Archiepiscopos, Episcopos aliosque Prælatos, prout in singulis locis consuetudine, (notate) receptum est, & in exercitio & possessione repetiuntur. Quæ verba cum sint generalia, & exceptio firmet regulam in casibus
15. non exceptis, *l. In his & ibi DD. ff. de leg.* non poterunt restringi ad causas primæ Instantiæ, sed comprehendunt etiam causas appellationum in quibus eadem consuetudo reperitur.

Denique non officiunt Cæsarum priuilegia supra in obiectione tertia Magnificorum Dominorum Assessorum mentionata, quia statuunt duntaxat à sententijs Concilij ordinarij Leodiensis in causis taxam excedentibus latis, Cameram Spirensem appellandum esse, neque quicquam decernunt de sententijs D. Officialis latis in causis profanis & inter merè profanos, ita vt censeantur reliquisse sententias illas, seu appellationes ab illis interpositas
16. in terminis sæpe memoratæ consuetudinis omnem hominum memoriam superantis; quas consuetudines, vt & alios vsus, mores & statuta

& statuta confirmauit Imper. Maximilianus I. 24. Iunij 1518. nec dubium quin Augustissimus Inuictissimusque Ferdinandus Imperator modernus pro sua singulari & toto terrarum orbe celebri pietate & admirabili affectu erga Romanam Ecclesiam, extra quam non est salus, intendat etiam illa confirmare & pro confirmatis habere, præsertim cum sit tutor, defensor, & protector 17. Pontificum successorum Petri, iuriumque & possessionum eiusdem S. R. Ecclesiæ vti latius ostendit R. P. Azorius *Instit. Moral. part. 2. cap. 6, lib. 10. D. Wames. Cent. 1. Cons. 12. nu. 8*. & nos alibi ad Preces primarias, *Sectio. 1. verbo Aduocatum.*

Ad tertiam & reliquos articulos, respondetur non esse nouum inuentum appellare à sententijs Iudicum Ecclesiasticorum 18. etiam in causis profanis, & inter profanos latis Romam ad Christi Vicarium, vti suprà multoties ostensum est, cum etiam videamus Ethnicorum æuo appellationes è Germania Romam deuolutas, vti liquet ex l. Non putabam 48. ff. de condit. & demonstrat.

Cæterum, quoad Conseruatores Ecclesiasticos, à quibus videntur Imperatores Maximilianus, & Carolus V. supranominati exemisse suos subditos, ne scilicet coram dictis Conseruatoribus in causis profanis conuenirentur, dicimus eiusmodi priuilegia nō posse officere Iurisdictioni Ecclesiasticæ, quo minus exempti in causis à Iure permissis, aut etiam mixti fori ad suum Conseruatorem recurrere possint: Cum Cæsarum constitutiones ad Iu- 19. risdictionem Ecclesiasticam extendi non possint, teste Ignatio Lopez, *in tract. crim. Canonica. cap. 3. vers. vndè ex illa*, ita vt non obstantibus eiusmodi priuilegijs, liberum sit, exemptis in causis violentiarum & iniuriarum, personis, & rebus suis illatarum, recurrere ad suum Conseruatorem, *c. 1. & cap. fin. de priuileg. in 6. vti notat Erasmus à Chokier frater meus, in suo tract. de Exempt. tom. 2. parte 1. quæst. 116. pag. 293.* qui tamen non potest inhibere Iu- 20. dicibus Laicis, qui aditi sunt super causis profanis inter merè pro-

sanos: quia sicuti Papa directè id non potest. *Card. Bellarmin. de*
21. *Controuersijs fidei lib. 5. cap. 6. in fin. Nauar. in repetit. cap. Nouit. de Iudicijs*: ita neque Conseruatores, qui sunt Papæ delegati, *c. 1. in fi. de off. deleg.*

Verùm nodus in eo non consistit: sed an Iurisdictio ciuilis in causis videlicet profanis inter merè profanos & laicos, sit Officialibus Episcoporũ Principum, maximè Electorum Germaniæ permissa, & an appellationes ab illorum sententijs ex commissione Nunciorum Apostolicorum, vel Papæ ad Ecclesiasticos deuolui possint, quod hoc ipso opusculo multis rationibus affirmatiue ostendimus & exemplis ab omni æuo petitis confirmauimus.

Nam Apostolica auctoritas adeò viguit omni æuo, veluti testatur illustrissimus Cardin. Baron. *an. Christi 602. tom. 8.* vt neque bella, neque alia incommoda retinere potuerint homines, quo
22. minus tam ab Oriente, quam Occidente, etiam ex transmarinis Ecclesijs appellationes & alia Iudicia deferrentur ad sedem Apostolicam. Et si quæ Prouinciæ fortassis se à Iurisdictione S. Sedis substraxerunt, impunè illis non cessit.

Hinc legimus Dominum Deum tradidisse Hispaniæ Reg-
23. num Saracenis, non quia in fide, sed Iurisdictione à S. Sede defecerat. *Baron in Annal. an. Christi 701.* Vnde intelligant Principes (loquor verbis Baronij) quàm malè sibi, suisque Regnis consulant, qui Ecclesiæ iura tollere, vel imminuere conantur, quod ipsum repetit rursum alijs in locis *in Anno.* 1100. *nu.* 34. item 1104. *nu.* 14. anno. 1148. *nu.* 47. vbi ostendit Principes opprimendo
24. Ecclesiasticam Iurisdictionem Regnorum suorum interitum & amissionem arcessere: quod etiam in vsurpatione aliorum iurium & bonorum Ecclesiæ accidere proxima hac secunda parte ostendemus & exemplis confirmabimus.

VIN.

VINDICIARVM LIBERTATIS ECCLESIASTICÆ,

PARS SECVNDA.

Contra Impios Ecclesiæ Mastyges, illius bona ac iura vsurpantes.

CAP. I.

Bona Ecclesiæ in quotuplici differentia. Qualia tempore primitiuæ Ecclesiæ. De Constantini Imp. donatione.

SVMMARIVM

1. Bona tempore nascentis Ecclesiæ in duplici fuere differentia.
2. Constitutio Vrbani II. vetantis infeudari bona Ecclesiastica.
3. Discutitur quæstio de validitate donationis Constantini Magni.
4. Ante donationem Constantini seu tempore primitiuæ Ecclesiæ Christiani in communi viuebant.
5. Etymon vocis Cœnobitæ.
6. Clerisportulantes qui?
7. Discrimen Clericorum & Canonicorum Regularium.
8. Decani Canonicorum cur sic dicti?
9. Præclari viri prodiere è Canonicis Regularibus.
10. Nonnullæ recensentur donationes factæ Ecclesiæ Rom.
11. Constantini donatio an valuerit?
12. Imperator potest alienare res Imperij.
13. Munificentia Regum Franciæ.
14. SS. Hierony. & Ambrosius Constantini donationem dilaudarunt.
15. Constantini donatio roborata est consensu omniũ Ordinum Imperij.
16. Donatio Constantini est donatio remuneratoria.

SCripſimus priori parte contra eos qui Iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſi non tollere funditus, at minuere nituntur. Nunc porrò ad eos Eccleſiæ Maſtyges tranſiliemus qui Eccleſiæ bona, libertatem, aliaque illius iura vſurpant, ac priuſquam ordiamur lubet primum præmittere, an aliqua bonorum proprietas competat Eccleſiæ: quod quidem altius repetendum eſt, & inquirendum, quomodo tempore naſcentis Eccleſiæ Clerici, alijque Chri-

1. ſtiani bona poſſederint. Dico ergo bona duplicis fuiſſe generis, ſpiritualia alia, alia temporalia. Illa ſunt veſtimenta & ſupellex ſacra, id eſt vſui ſacro deſtinata, item decimæ, quæ teſte Auguſtino Tributum Dei, & penſio animarum gentium vocantur; inſuper primitiæ, oblationes, & alia. Temporalia verò ſeu profana ſunt illa, quæ Principum aliorumque piorum hominum munificentia Eccleſiæ donata ſunt. Iſta antiquitus plerumque in feudum dabantur, licet poſteà Vrbanus II. propter grauia Imperij

2. onera, quæ Epiſcopis & Abbatibus imponebantur Synodo Placentina Edicto cauit ne in poſterum prædia Eccleſiaſtica in feudum cuiquam concederentur.

Cæterum, vt ætas ſuccedit ætati, ita bonis temporalibus auctior facta eſt Eccleſia, & maximè Romana, ex donatione Conſtantini Magni, facta Syluestro Papæ. De qua, quia plerique alieniores ab Eccleſia Romana, præſertim verò Nouatores & hæretici, varia comminiſcuntur, adeò vt nonnulli in dubium reuocare audeant, an vnquam iſta donatio contigerit, & vt fuerit in rerum natura, an valere potuerit; pauca hoc loco ediſſeram, conaborque adſtruere, & fuiſſe, & valuiſſe.

3. Quoad prius, haut dubium eſt neminem, niſi qui fluctus in ſimpulo volet excitare, negaturum Conſtantinum Magnum poſteaquam purifico rore perfuſus eſſet, inter alia mutatæ in melius vitæ argumenta iſtud dediſſe, quod munificentiâ ſuâ Eccleſiam Romanam bonis temporalibus decorare voluerit, donando nimirum B. Silueſtro & omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus,

qui

qui ad finem vſque mundi in ſede B. Petri erunt ſeſſuri, Palatium Lateranenſe, & omnes Italiæ, ſeu Occidentalium Regionum Prouincias, loca, Caſtra, Ciuitates, &c. Ipſum quod probatur in cap. Conſtantinus Imperator. *diſt. 96.* & per Alberic. *ad. l. 2. §. initio. nu. 5. & 6. ff. de off. Præſid. Iſidor. tom. 1. Concil. pag. 319. apud Surium. Caſtald. tract. de Imper.* D. Bernardum *lib. 4. de Conſider. ad Eugenium Papam*, qui Pontificem Conſtantini ſucceſſorem quoad inſignia Iuriſdictionis temporalis vocat, adde Concilium Lateranen. *ſub Paſchali II.* quos omnes ſi legiſſet Laurentius Valla Sectariorum in hoc genere anteſignanus, haut ita facilè in dubium, atque adeò in inuidiam ſuâ ignorantiâ vocaſſet Conſtantini donationem.

Anteà verò, compertum eſt Chriſtianos bona ſua in commune contuliſſe, neque quemquam fuiſſe, qui quod poſſideret ſuum eſſe diceret, vti ex actis Apoſtolorum patet. Tempore enim 4. primitiuæ Eccleſiæ, Chriſtianis omnibus omnia ferè erant communia, & clerici cum Epiſcopis eadem vitæ ſocietate vtebantur. Vnde nomen Cœnobitæ, à græca voce κοινὰ, quod eſt communia, quaſi communiter viuentes. Diſtribuebatur autem 5. ſingulis prout opus erat.

At vbi refrixit charitas, pietas, deuotio, maior fidelium pars propria bona poſſidere cepit, & Apoſtolica illa & arctior communiſque vita apud Monachos & plærosque clericos remanſit, donec tandem relicto proprio Epiſcopo (de clericis loquor) cum quo eandem vitam agebant, eodemque vtebantur refectorio & dormitorio, ad propria ſeceſſere, certis contenti ſtipendijs ab Epiſcopo datis, quos ea de cauſa Sportulantes appellabant, vt no- 6. tat Baron. *in Annal. tom 2. Anno Chriſti 258.*

Remanſit tamen veſtigium Clericorum primitiuæ Eccleſiæ apud Canonicos Regulares noſtri temporis: non quod illi, ſicut nunc iſti, tria ſolemnia vota vouiſſent, neceſſitatemque ſibi im- 7. pòſuiſſent permanendi in communi vita, ſed quod ſub obedien-

tu Episcopi & directione Decanorum (qui ideò sic dicti quod per Decurias per Diœcesim in vineam Domini mitterentur) in communi illa & laudabili victus & vestitus communione ac distributione (vt nunc apud Regulares, id est Regularis illius obseruantes Disciplinæ) viuerent, mysteria obirent, ac sacris sub eodem Rectore operarentur.

9. Ex quo vitæ instituto prodière viri ab eruditione & sanctimonia eximij, qualis in Belgio censetur Odulphus, Traiectensis Ecclesiæ Canonicus: in Wesphalia Meinulphus Archidiaconus Parderbornensis: quos regulares vnionis Windesbemensis in album Sanctorum suorum meritò retulêre. qualis quoque Auianus Marci Euangelistæ Discipulus, & posteà in Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatu successor: cuius natalem Canonici Regulares Lateranenses celebrant, teste Molano ipsis Kal. Decembris, quem etiam ferunt à B. Marco in mandatis accepisse, nè ab Apostolicis regulis discederet, sed in communi vitam agens, suos discipulos in eà diligenter erudiret.

10. Verùm vt vndè diuerti redeam, præter Constantini donationem, scimus Aripertum Regem Longobardorum Ecclesiæ Romanæ apprimè se munificum præbuisse, quippè qui Pontifici multos fundos (inquit Carolus Sigonius *de Regno Italiæ lib. 2. Anno 706.*) & nominatim patrimonium Alpium Cottiarum à Rhotari Rege ademptum restituit, eamque donationem aureis litteris exaratam ad Pontificem misit. Quid commemorem alias donationes Regnorum Siciliæ, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ, Daniæ, Russiæ, quæ donata Ecclesiæ Romanæ in perpetuos Petri successores deriuarunt? sed valeant ista vti nota.

11. Venio nunc ad aliam à sectarijs diiudicatam quæstionem, an nimirum Constantini Donatio valuerit. Pro negatiua objicitur, quod Imperator non potuerit à se abdicare bona Imperij, nec tam profusè conferre Ecclesiæ Romanæ. Respondetur, Cæsarem, nec quemquam aliorum Principum abdicare à se bona Imperij

perij & Dominij sui: cum nihil aliud præstent, nisi quod reddant Deo & Ecclesiæ quod suum est, quotus enim quisque non credat, Regio Prophetæ, asserenti Domini esse terram, & plenitudinem eius? Præterquam quod Imperator potest alienare res Imperij, *l. apud Iulianum* §. *vlt. ff. de leg.* 1. Neque per illud læditur Imperium, vel Regnũ eò quod res redit ad suum pristinum statum, *l. vnus* §. *pactus. ff. de pact.* vnde legitur Pontificem Imperium Carolo Magno dedisse, non daturus forsitan, nisi suum fuisset, siue ex illa Constantini donatione, siue ex iuris proprij à Christi accepti potestate per Constantinum confirmata, *Boët. Epo Heroicarum quæst. lib. 6. tit. de Iurisd Eccles. temp. q. 3 nu. 60.* 12.

Imò, si priora tempora & nostra reuoluas, plerosque videbimus Reges ac Principes pietate, aut vsu sic exigente, vel Ecclesiæ donasse, vel saltem vendidisse. Testis esto B. Ludouicus Galliæ Rex, quem multa latifundia Ecclesiæ Gallicanæ donasse cõstat. Testes Pipinus, Carolus Martellus Galliæ Reges, vt sileam Ottonem & Adolphum Imperatores, Notgerum Episcopum Leodiensem, quorum meminit R. D. Chapeaville *tom. 1. & 2. Annal. Pontificum Leodien.* & Baronius *tom. 10. Annal. Anno Christi* 962. qui quidem ardore pietatis Christianæ flagrantes, multas vrbes, oppida, vicos, Ecclesiæ Romanæ atque etiam nostræ Leodiensi, vltrò, id est religionis tantum suæ testimonio condonarunt. 13.

Et hos censebimus contrà ius & fas fecisse, propriasque animas, quarum aliquæ in album Sanctorum relatæ sunt, lethali sceleri alligasse? Testor D. Hieronymum *epist. ad Eustochium*, S. Ambrosium *in orat. funebri de obitu Theodosij & lib. 5. epist. 32.* æuo Constantini satis vicinos, qui Imperatoris illius factum & in Ecclesiam & Ecclesiasticos zelum ac studium multis laudum præconiis deprædicarunt. 14.

Secundò, respondetur donatorem Constantinum, interueniente non tantum auctoritate sua, vt notat, Boëtius Epo *dicto loco ex d. cap. Constantin.* sed plenissimo omnium totius Imperij Ordi- 15.

Ordinum post maturrimam deliberationem consensu, per pragmaticam scilicet sanctionem omnibus Romani Imperij Principibus & magnatibus, vniuerso Senatu, cuncto populo sic expedire iudicantibus, donationem hanc factam esse non tam Romano Pontifici, quàm, vt dictum est, Deo, quàm Ecclesiæ Dei Sponsæ, idque sub persona D. Petri Apostolorum Principis: quod
16. autem Deo datur non donatio, sed remuneratio est, & quidem perexigua si conferatur cum omnibus bonis tam animi, quam corporis; tam gratiæ, quam naturæ; tam spiritualibus, quam corporalibus; tam perpetuis & æternis, quam temporalibus; tam cœlestibus, quam terrestribus, à Deo cuilibet collatis homini: Est autem perspicui iuris valere donationes remuneratorias *l. Atilius Regulus. ff. de donat.* accedentibus præsertim tot ac tantis, tamque singularibus Christi in Constantinum beneficijs, Miraculo victorem Maxentij, altero miraculo curatum à læpra; miraculo denique fide Christiana instructum, ac sceleribus grauissimis ereptum, denique Christiana Monarchia donatū ac beatum, ita vt hęc illius donatio diuinitus planè facta videatur. Quæ quidē nolo diutius prosequi, tum quod non sit instituti mei, tum quod permulti sint auctores grauissimi, qui eandem serram, vt cum Tertull. loquar, reciprocarunt. Consulant curiosi si velint Abb. *Cons.* 82. *lib.* 1. Card. *in Clem. vnica. de Iureiur.* Feli. *in c. solitæ. de Maior. & obed.* Gonnes. *in* §. *Item Seruiana Instit. de actio.* Boëtium Epo. *d. loco.* & alios quos citat Couar. *lib 4. Var. resol. cap.* 16. *nu.* 8. vbi dictos auctores saniorem laudasse sententiam constat quæ stat pro veritate & validitate donationis Constantinianæ.

CAP.

CAP. II.

De Iure Decimarum. Negari non possunt sine graui scelere. Præscriptione non acquiruntur. Earum immunitas non inducitur ex non præstatione. Diuinitus earum fraudatores puniuntur.

SVMMARIVM.

1. *DEcimæ debentur iure Naturæ & diuino.*
2. *Ethnici primitias frugum Sacerdotibus donabant.*
3. *Tempore legis naturæ an sub peccato tenerentur decimas præstare.*
4. *Decimæ sunt iuris diuini.*
5. *Deus honoratur in Decimis.*
6. *Solutio decimarum an sit sub præcepto.*
7. *Tempore legis Euangelicæ solutio facta est pœnalis.*
8. *Nemo quantacumque dignitate præditus exemptus est à iure decimarum.*
9. *Ius Decimarum præscribi non potest per laicos.*
10. *Laici incapaces sunt decimarum, neque illarum libertatem acquirere possunt.*
11. *Actus abnutiui non factæ solutionis non sufficiunt ad præscriptionem libertatis decimarum.*
12. *Pœna non soluentis decimas, vel illas vsurpantis, vindicta diuina.*
13. *Historia Caroli Martelli æternis pœnis mancipati ob decimas ablatas & sæcularibus attributas.*
14. *Insigne Augustini dictum contra fraudatores decimarum.*
15. *Magna Dei ira est quando peccatoribus non irascitur.*
16. *Comminatio Dei aduersus fraudatores decimarum.*

DIximus superiori capite inter bona Ecclesiæ censeri Decimas: quarum depeculatores ac vsurpatores, quam graui se-

ſceleri alligent in præſenti oſtendemus. Præmitto, Decimas deberi de iure naturæ, & diuino. Naturæ quidem, quia ante legem ſcriptam, quando nimirum ſolum vigebat lex naturalis, Decimæ debebantur. Natura enim dictabat, vt Deo in recognitionem ſupremi Dominij, cui vniuerſus orbis ſubijcitur, (Domini enim eſt terra & plenitudo eius) aliquid de bonis noſtris impertiremur. Legimus etiam *Geneſ.* 14. Abrahamum Patriarcham Decimas dediſſe Sacerdoti Melchiſedech: de quo meminit D. Paulus *ad Hebr.* 7. *&* *Gen.* 21. ſic & Abel munera de fructibus terræ, & primogenitis gregis ſui Domino offerebat. *Gen.* 4. Itâ & Iacob cum à patre iuſſus eſſet in Meſopotamiam ire, vt ibi vxorem acciperet cunctorum quæ daret illi Dominus Decimas offerebat *Geneſ.* 28.

Quin Ethnici ipſi ſuis Dijs Decimas frugum donabant, quas
2. ne deguſtaſſent quidem: verba Plinij *lib.* 18. *Nat. Hiſt. c.* 2. antequam Sacerdotes primitias libaſſent. Quamquam ſint qui putent æuo legis naturæ, nullo modo obligatos fuiſſe ſub peccato ad
3. præſtationem Decimarum; cum illæ ſoluerentur ex voto, vel Conſilio non ex præcepto, in qua ſententia ſunt Rebuff. *tract. de Decimis quæſt.* 1. Tindarus *eodem tract. nu.* 9. & nouiſſimè Io. Pet. Moneta, *in ſimili tract. de Decimis cap.* 1. *nu.* 30.

Quin verò ſint iuris diuini & à iure diuino fluxerint Decimæ,
4. haud dubitari poteſt: nam Exodi 22. legitur, Decimas & primitias tuas non tardabis offerre. & Num. 8. Sacerdotibus & Leuitis conceſſit Deus omnia primitiarum iura & Decimas. Honoratur
5. autem Deus in Decimis, quas ſi dederis, inquit, D. Auguſtinus *ſerm.* 219. non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſanitatem corporis & animæ conſequeris.

6. At maior difficultas, an ſolutio illa decimarum ex præcepto deberetur: variantes enim ſunt cum inter Theologos, tum Legis & Canonum conſultos opiniones. Repudiatâ tamen affirmatiuâ, receptior videtur contraria & negans ſententia; quoniam quidem

quidem præceptum illud soluendi Decimas, non tam morale erat, quam iudiciale, quod nimirum, vt alia plæraque, institutum videatur ad conseruandam inter homines æqualitatem. (cum enim vndecim Tribus possessiones omnes haberent, debuit Leuitica quæ illis carebat, diuinisque obsequijs tota mancipata erat, à reliquis Tribubus partem aliquam prouentuum habere, quæ diuina tunc institutione decima fuit, vt ex Tho. *q. 87. art.* 1. probat idem Moneta. *d. q.* 1. *nu. 16.*) Quo supposito, cum eiusmodi præcepta per legem Euangelicam sint abrogata, *S. Tho. d art.* 1. *Couar. lib.* 1. *Var. cap. 17. nu. 2.* consequens videtur necessitatem illo iure minus inductam fuisse.

Contra quam dicendum est tempore legis Euangelicæ. Hoc enim iure Euãgelico, necessitas hominibus imposita est, soluendi 7.
Decimas sub peccato, quod & humano postea iure, id est Canonum disertè cautum est, vt multis SS. Patrum auctoritatibus probat Anast. Germonius *lib. 3. de Sacrorum immunitatibus cap. 19: nu.* 15. Hinc Nicolaus V. *in c. 2. q. 16.* Præcipit vt decimæ & primitiæ seu oblationes viuorum & mortuorum Ecclesijs Dei fideliter reddantur à Laicis, quas qui retinuerint, inquit, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur. Idemque nedum sancitum est per Innocentium III. Clementem V. aliosque Pontifices, sed & per Concilium Rhotomagense, Moguntinense, ac Tridentinum. Vndè Caietanus *2. 2. q. 87. art.* 1. *in Resp.* eleganter scribit Deum in veteri lege populum suum ad Decimas obligasse, & nobis dedisse exemplum similis obligationis suscipiendæ ab Ecclesia tanquam iustæ & rationabilis.

Maneat ergò certum, Decimas citrà reatum lethalis peccati, imò etiam excommunicationis. *c. omnes Decimæ* 16. *q. 7. statuimus,* 16. *q.* 1. *c. peruenit c. adhac, c. ex parte 2. de Decim. Rebuff. de Decimis q. vlt. nu. 16.* neminem quacumque dignitate & conditione præditum fraudare posse; ac nè quidem illa percipiendi ius acquirere, & illud vsurpantes, Ecclesiasticâ sepulturâ priuari de- 8.

bent. *cap. prohibemus. de Decimis vbi glo. Abb. & alij;* cum enim
9. sint res sacræ & iuris diuini, nulla præscriptione illarum proprietas acquiri potest; quidquid dicat Vasq. *contr. illust. lib. 2. cap. 89. nu. 7. text. in cap. causam quæ. vbi glo. Feli. & alij de Præscript.* ac nè quidem per Reges ac Principes, *Maynard. lib. 3. quæstio not. iuris ciuilis. c. 47.* cum quæ in nullius bonis sunt, præscribi nequeant, vt respondit Caius *in l. 1. §. quod autem. ff. de Rer. Diuis.* & Martian. *in l. 6. §. sacra autem d. 1.* quod & Alex. III. *in cap. 1. de Præscript.* Parmensi Episcopo rescripsit, his verbis, *cum laici Decimas detinere non possunt, eas nulla valent præscribere ratione.*

10. Cum ergò huius iuris incapaces sint, nequaquam poterunt quantolibet temporis spatio capaces fieri, *glo. in c. nobis, verb. Jurisdictione, de Iure patron. Abb. & Curt. in c fin. de consuet, sect. 4. nu. 32. Henriquez lib. 7. Theol. moral. c. 17. nu. 2. Couar. d. c. 17.* quamquam si ad immemorialem præscriptionem accedat fama vel priuilegij, seu feudi obtenti antè Concilium Lateranense, vel etiam fama feudi absolutè, tunc laicus tutus videbitur, *cap. Adrianus 63. Dist. c. cum Apostolica de his quæ fiunt à Prælat. Nauar. de Redit. Eccles. q. 1. Nouit. 57. nu. 2. Gutierrez pract. quæst. lib. 1. q. 14. nu. 1. & 2.*

Cæterum, in præscriptione libertatis soluendi decimas, illud exploratum est, laicos non soluentes decimas etiam per centum annos, non idcircò censeri libertatem præscripsisse, vt ex Innocentio, & alijs probat doctissimus Wamesius, *Cons. 450. nu. 5. vol. 2.* quia libertas illa quæri debet per actus possessorios libertatis, & quod à tempore denegatæ solutionis spatium, temporis immemorialis sit decursum: Soli eum actus abnutiui, vt loquitur
11. Wamesius, non factæ solutionis, nequaquam sufficiunt, *Consil. 444. 442. & 450. vol. 2. Farinacius decis. 76. nu. 2. part. 1.* quin sunt qui simpliciter negant vllam consuetudinem eximere Laicos posse, nisi ea sit à Romano Pontifice comprobata, à solutione decimarum, nec personalium, nec predialium, nec ab earum

aliqua

aliqua parte, *glo. in cap in aliquibus. de Decimis. Innocen. in d. cap. In aliquibus. Rebuff. tract. de Decimis quæst.* 13. Sed satis dictum esto de iure Decimarum.

Quâ verò pœnâ mulctentur in altero seculo Sacrilegi isti qui Ecclesias Decimis defraudant, multis sanequam exemplis ostendere possemus, nisi Petrus Blesensis epistola ad Episcopum Aurelianensem 112. cuius meminit Baronius *in Annal. sub annum Christi* 1188. egregiè id executus esset, quæ quidem epistola prorsus digna est, quam legant qui quouis prætextu fauent Principibus alijsque Nobilibus aduersus Ecclesias pauperes ac alia pia loca. Ibi enim multis rationibus & exemplis è sacra scripturà petitis ostendit, non debere eos qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spoliare, sed potius inimicorum spolijs, donis triumphalibus illam ampliare, & nunquam pauperum; nunquam enim Ecclesiæ spolia, prosperum habuere euentum; Cuius Documenti exemplum licet horrendum refert ex Gaguino & Eucherio Arelatensi Episcopo Petrus Rebuff. *tract. de Decimis q.* 10. *nu.* 7. de Carolo Martello, qui post partam aduersus Saracenos victoriam, qui ex Hispania venientes, bona & templa Galliæ deuastauerant, & transeundo sacra & profana euerterant, cum Nobiles & Regni proceres, (quos in belli discrimine sibi fideles compererat) compensare, ac in eos animi sui liberalitatem ostentare decreuisset, non dissentientibus ipsis Gallicanis Episcopis, Decimas pro Sacerdotibus à Dèo consecratas & sanctificatas, belli socijs distribuit, iuramento adiecto, se, si vita suppeteret, omnia Ecclesijs & multò maiora redditurum: id quod minimè fecit, at non multo tempore pòst è vita migrauit, sacrilegij crimine ac damnationis æternæ suspitione infamis, cuius cadauer sepultum in æde S. Dionysij fuit. Sed quid exinde contigit? paucis post annis ingens serpens forte diabolus serpẽtis specie in eius sepulchro repertus est, ex cadauere autem atque ossibus nihil omninò inuentum, quod multis occasio fuit credendi eum corpore & anima in inferno ob decima-

rum extorsionem sepultum fuisse. Discant ergo Principes, Nobiles, & cuiusuis conditionis laici non defraudare Decimas, ne quos exitus exhorrescunt, illis perpetua cum sui nominis infamia & animæ damnatione æuiterna similes obtingant. Neque nonnulli obtendant, quod quibus Decimæ debentur, his interdum abutantur, genio indulgeant, ac nepotinis sumptibus populo scandalo fiat, quia cum D. Gregorio respondeo: *1. q. 1. cap. Multi*
„ Multi inquit secularium hominum cum plus Sacerdotis vitam,
„ quam suam discutiant, in magnum contemptionis diuinorum
„ Sacramentorum crimen incurrũt: magna enim trabe vulneratos
„ habentes oculos, eamque negligentes, festucam tenuem in alio-
„ rum conspiciunt oculis, quam dum incautè festinant euellere
„ in erroris foueam dilabuntur. Sed hoc est hęreticorum proprium alios nota censoria dignos iudicare, sese verò vitiorum exortes venditare. Dicant interim, cui sancto (*inquit B. Augustinus epist. ad Permen lib. 2. cap. 7.*) secundum salutem spiritualem obfuerit, vel in Sacerdotibus, vel inter populum constituto, malus aut maculosus Sacerdos? Vbi erat Moyses, & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi quos Deus à facie sua semper perdere minatur. Vbi erat Caiphas, & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon & cæteri boni. Vbi Saul, ibi Dauid: vbi Hieremias, vbi Isaias, vbi Daniel, vbi Ezechiel, ibi Sacerdotes mali & populi mali: sed suam vnusquisque portabit sarcinam. An ideò Ecclesia deserenda est? an ideò spolianda? an ideò Decimis, & primitijs destituenda? an perdendus homo si ægrotauerit? euellenda arbor si quando fructum non tulerit? eruendus oculus, si quo leui humore caligauerit? tollendus Sol, si ecclipsim interdum patiatur?

Claudam hoc caput insigni veriloquio eiusdem B. Augustini,
14. *serm. 219. de tempore*: Cum tu Decimas dando & terrena & Eccle-
„ siæ possis præmia promereri, quarè pro auaritiâ duplici benedi-
„ ctione fraudaris? Hæc est enim Dei iustissima consuetudo, vt si
„ tu illi Decimam non dederis, tu ad Decimam reuoceris: Dabis

impio

impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Benefacere Deus „
semper paratus est, sed hominum malitiâ prohibetur: Decimæ „
enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas „
inuadit vt loquitur Concilium Tridentinū *sess. 25. cap. 12. de reform.*

Si qui porrò sint, qui licet Ecclesiæ Decimas possideant, vel se
ab illis exemptos iactitant, meminerint magnam Dei iram esse,
quando peccatoribus non irascitur. Præclarè aduersus Donatistas 15.
dixit Optatus, *lib. 1. an quia cessat talis modo vindicta, ideo tibi cum
tuis vindicas innocentiam? ad exemplum præsens, pœnam compressit,
secundam iudicio reseruauit.* Apud Ezechielem legitur *cap. 16.*
Requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & „
quiescam, nec irascar amplius, eò quod non fueris recordatus die- „
rum adolescentiæ tuæ, & peccasti in omnibus his. „

Quarè, si salutem tuam amas, quisquis hic offendis, par est te
ad hæc attendere, nec audire quid adulatores tibi proponant, sed
quod est conforme voluntati ac legi Dei, ac vitare excommuni-
cationem, ac maledictionem æternam, de qua apud Malachiam,
cap. 3. legitur: Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? & 16.
dixistis; In quo configimus te? In Decimis & primitijs, & in pe-
nuria vos maledicti estis & me vos configitis gens tota. Quibus
verbis exprimit Deus quantoperè illi displiceat subtractio Deci-
marum, dum eò se dicit veluti clauis ad crucē affigi, ac propterea
famem, aliasque maledictiones subsequi, quas experimur & ex-
perti sunt ante nos multi.

CAP. III.

De abusibus Collationum vsurpatis per nonnullos Reges & Principes.

SVMMARIVM.

1. *Collatio beneficiorum Ecclesiasticorum separari non potest ab ordine Clericali.*

2. *Ton-*

2. *Pontifices varijs munificentiæ indicijs Principes seculi prouocant, vt Ecclesiæ defensionem suscipiant.*
3. *Iustiniani & Leonis Pontificis erga Ecclesiam zelus.*
4. *Nonnulli Principes priuilegijs à S. Sede concessis vti noluerunt.*
5. *Non desunt adulatores qui adstruunt Principibus competere ius conferendi beneficia.*
6. *Vnctione Regum Clericatus non tribuitur, multominus facultas conferendi beneficia.*
7. *Facultas collatoris beneficiorum non acquiritur præscriptione.*
8. *Multa per patientiam tolerantur quæ si essent in iudicium deducta non tolerarentur.*
9. *Consuetudo etiam immemorialis contra libertatem Ecclesiasticam non valet.*
10. *Populus fungitur potestate legis Regiæ.*
11. *Quomodo ei olim competierit ius electionis.*
12. *Leo iratus Pontifex ab Henrico IV. Imp. Pontificatum recusat.*

ABusus magnus iam, proch dolor, natus est circa potestatem quam nonnulli Reges alijque Principes sibi assumpsere cõ-
1. ferendo propriâ auctoritate beneficia suarum Prouinciarum sine vlla S. Apostolicæ cõcessione. Cum enim collatio beneficiorum Ecclesiasticorum separari non possit ab ordine Clericali, (ex quo eorum fit, patrimonium Ecclesiasticũm dispensare, quorum est ad munia Ecclesiastica admittere.) indubitanter dicendum est, nemini alteri quamuis eminentissimâ dignitate fulgenti ius istud collationis licitum vindicare. Dico autem sinè Sedis Apostolicæ priuilegio aut concessione.

2. Solent enim nonnunquam D. Petri successores, sæculi Reges & Principes diuersis munificentiæ argumentis prouocare, vt maiori animorum conatu Ecclesiam Catholicam defendant, cuius se esse Protectores meritò gloriari solent. Vnde præclarè
3. Iustinianus Imperator *Nouella Constit.* 42. Nos omni inquit, proui-

prouidententia curam Ecclesiarum gerimus, per quas & Imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei & gratiam muniri credimus. Et Leo Pontifex *ad Leonem Augustum epist. 73.* Debes incunctanter aduertere Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatum. Cum verò Arcadius & Honorius rogati essent, vt quibusdam Ecclesiæ priuilegijs derogare vellent rescripserunt in hæc verba; *in l. 29. C. Theodos. de Episcopis & Cler.* Quæcumque à parentibus nostris diuersis sunt statuta temporibus, manere inuiolata atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur à priuilegijs immutetur, omnibusque qui Ecclesijs seruiunt tuitio deferatur, quia temporibus nostris addi potius reuerentiam cupimus, quam ex ijs quæ olim præstita sunt immutari.

Vt sanè mirum non sit si beneficis istis eorumque similibus Principibus ac Regibus certa Indulta data sint, iura sacrorum cōcernentia, licet plerique religiosissimi Principes eiusmodi iuribus & priuilegijs vti noluerint: de quo extant laudabiles Constitutiones Ludouici Pij. & Ottonis 1. *cap. Constitutio dist. 36.* & de Ludouico Iuniore illud proditur, illum ex Hierosolymitanâ expeditione reuersum vti noluisse Indulto Papali, quo concedebatur illi facultas conferendi primam vacaturam in omni Ecclesia Cathedrali sui regni, quinimò mandauit diploma comburi, dicens: Malo illud hic comburere, quam si propter illud in inferno comburerer, *Thomas Walsingan. in hypodigmate Neustriæ.* Quo magis timendum est illis qui nullis priuilegijs muniti, falcem suam in sacram istam messem immittunt. 4.

Verum, non desunt adulatores qui Principibus nedum præsentandi ius competere (id quod eis conceditur vbi Ius Patronatus habere noscuntur) verum etiam neglecto electionis iure, conferendi potestatem audaci & procaci stylo habere adstruunt, sed quo iure perpendamus. Ecce, palam edicunt Reges Christia- 5.

nos non esse verè & purè laicos, cum sint inuncti, sicuti alij Hæbræorum Reges, vti videre est Regum 3. c. xix. vbi Dominus Hæliæ præcepit in hunc modum: Vade, & reuertere in domum
„ tuam per desertum in Damascum, cumque perueneris illuc, Vn-
„ ges Azabel in Regem super Syriam, & Iehu filium Nausi vnges
„ in Regem super Israel, *vt refertur in cap. vnico.§. Vnde in veteri te-*
„ *stamento, de sacra vnctione.* Ideoque merito maximo Reges Galliæ, inquiunt isti, conferre beneficia Ecclesiastica, censerique de Clero: adeò vt Canonici dicantur Ecclesiæ S. Hilarij Pictauiensis, item Ecclesiæ Andegauensis, & aliarum.

At respondetur, Reges nihilo magis censeri de Clero, multò minus beneficia conferre posse: Nam videmus Imperatores ipsos, quos S. oleo perfundi constat, laicis communicari. *cap. tua 25. de Decimis*, vbi non alia de causa nequit Imperator cuiquam Decimas remittere, quam quod laico nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas. Vnctio nimirum sacra vel
6. Imperatorum vel Regum, Clericatum illis non tribuit, sed politicam duntaxat administrationem Regni: qua nec fungi possent, si verticis rasi, vt Sacerdotes, priuilegio fruerentur, *cap. sententiam sanguinis. Ne Cler. vel Monach. secul. neg. sese immisceant.*

Quod enim olim Reges essent quoque Sacerdotes, ad Christianum Sacerdotium minime trahi debet, vt multis auctoritatibus probat Boët. *de Regal. nu. 49.* laudans Stephanum Maleretum Professorem olim Pictauiensem & Archidiaconum Burdigalensem *tract. de Electio. liberè faciendis quæst. 4.*

Insuper producunt in medium adulatores Regum, ius istud Collationum Regale, acquisitum esse præscriptione, *vulgata l. 1.*
7. *in fi. ff. de aqua & aqua plu. arc.* at quam sublestum sit eiusmodi argumentum, facilè intelliget, qui non nescius est res istas spirituales nec à laicis possideri aut præscribi posse *vti supra d. c. 25. de Decimis*, ostendimus. Præterquã quod præscribi nõ potest Constitutio Papæ contra eius mentem & præsertim contra fauorem

Ecclesiæ

Ecclesiæ cui nec tacitè, nec expressè renunciari potest: & non probata scientia legislatoris aut successoris æqualem potestatem habentis, contrarius vsus non suffragatur *Abb. in cap. 1. nu. 4. de Treuga & pace: Farinaci. decis. 221. nu. 4. part.* 1. Verum, tantum abest vt Pontifices adusque hisce abusibus consentiant, quin dolent & ingemiscunt de exigua quorundam Principum erga S. Sedem pietate, quam pro ratione duntaxat status colunt: *Si violandum est ius, regnandi causa violandum est; In alijs rebus pietatem colas.* inquiebat Cæsar Iulius.

Ac licet tolerata fuisset, ad tempus eiusmodi reprobata Collatio, non ex eo consensus inferretur, aut præsumeretur: cum plurima per patientiam tolerari dicantur, quæ si fuerint in iudi- 8.
cium deducta, non tolerarentur. *cap. vlt. de Sent. excommun. cap. Cum iam dudum 18. de Prabend.* Sic nec etiam talis consuetudo subsisteret etiamsi esset immemorialis. Nam vt latè probat Panormitan. *in cap. vlt. de consuet.* & Rochus *in repet. d. cap. vlt.* sola consuetudo quamtumlibet immemorialis contra libertatem Ecclesiasticam nullo modo valet. 9.

Aliud argumentum Regalistarum: quod scilicet populum Reges repræsentent, adeò vt populi fungantur potestate ac beneficio legis Regiæ *l. 1. ff. de Constit. Principum.* At populi assensus 10.
olim secundum veteres Canones fuit requisitus in Ecclesiæ Ministris tum eligendis, tum ordinandis, licet exindè ius istud suffragij ab ijs sublatum sit, propter abusus, & in Principem translatum, *c. Episcopus dist. 24. cap. nullus ordinetur & cap quando Episcopus, eadem dist. & dist. 63. & 27. cap. Sacerdotes, dist. 67. cap. vota, & cap. Sacrorum Canonum d. dist. 63.* ideòque non mirum si eo iure etiamnum nonnulli vtantur.

Verum, loca iam laudata quibus alioqui nituntur, Duarenus *lib. 1. cap. 6. de sacris Ecclesiæ ministris*, Chopinus *de S. Politia lib. 1. cap. 7.* & alij Regalibus fauentes, nihil aliud efficiunt, nisi quod 11.
populi assensus necessarius olim esset in cooptandis in Clerum, vt

etiam hodiernis temporibus fit. Quibus nullus omninò ordinatur quin populo quocum vixit proponatur, & indè testimoniū laudatæ vitæ per Parochum Episcopo ordinanti referat; quod & in electionibus vsitari adhuc compertum est. Itaque nō ex eo effici Principem his testimonijs populo successisse: quin absurdum videretur Regem vnum tot populorum Dominum, testimonium ferre vitæ eorum qui vel sacris ordinibus initiandi vel Ecclesijs præficiēdi sunt. Multò minus in suffragijs populi: quæ alioqui in solo desiderio consistebant, quod satis ex Leonis Magni d. Constit. *in verb. Expediti* constat; nempè, vt Episcopis nulla necessitate coactis suggererent, quos ad munia Ecclesiastica idoneos gratosque sibi iudicarent. Quippè aliud est eligere, aliud expetere: istud solius est Cleri vel Episcopi, illud potuit esse populi, eatenus nimirum, quatenus declarabatur à Clero electus videri populo dignus, idoneusque, qui ab Episcopo vel ordinaretur, vel confirmaretur, & commodis Ecclesiæ frueretur.

Vndè Insuper legitur Leonem IX. natione Germanū cum ab ipso Henrico IV. Imper. renunciatus esset Romanus Pontifex, sciret verò Imperatores carere facultate creandi Pontifices, Ro-
21. mam simulato habitu venisse, remque omnem ad Clerum Rom. retulisse, qui illius candore permoti, eum mox Pontificem declararunt. Henricus verò, primus sacrarum Electionum violator, Apostolico fulmine per Gregorium VII. conuocatis in Synodum decem & centum Episcopis, *Crantzius lib. 5. Hist. Saxo. c. 6.* percutitur, profugus moritur apud Leodienses, qui quod sacro sepulturæ loco illum dignati essent, in offensam S. Sedis non mediocriter incurrerunt, Teste D. Chapeaville Canonico & Vicario Leodien. *tom. 11. hist. Episc. Leod. cap. IX.* de quo Henrico alibi dabitur dicendi locus.

CAP.

CAP. IV.

De abusibus Nominationum qui per nonnullos Reges ac Principes committuntur.

SVMMARIVM.

1. *Nominatio quâ vtuntur Reges, quid?*
2. *Nominandi ius nemini competit, nisi cui à S. Sede id indultum est.*
3. *Preces Imperatoris.*
4. *Qui Reges ius nominandi & concessione Apostolica habeant.*
5. *Henricus Imperator ob vsurpatam beneficiorum collationem excommunicatur.*
6. *Donati Episcopatibus per potestatem laicam, coguntur ijs cedere.*
7. *Henricus V. potestate Imperatoria priuatur.*
8. *Admittuntur Nominationes dummodo Superioribus Ecclesiasticis referuntur Confirmationes.*
9. *Hæreses in Gallia natæ ex collationibus beneficiorum per laicos factis.*

NOminationem hoc loco accipimus, non illam quæ fit antè 1. scrutiniũ electionis, cum nempè vnus vel plures Capitulo interdum proponuntur ex quibus vnus ad Prælaturam eligatur, sed illam quæ fit per laicum ad dignitatem Prælaturamve vacantem, quæ adeò Sacris Canonibus damnata est, vt non valeat consuetudo etiam hominum memoriam excedens, tribuens facultatem laico, quamuis Ecclesiæ patrono, ius nominandi ad Prælaturas aut beneficia, nisi Indulto aut priuilegio S. Sedis, munitio, aut saltem adsit constans fama accepti Indulti aut priuilegij cum bona fide & temporis immemorialis decursu, *cap. Messana 56. de Electio. Hostien. de electio. §. Quis potest eligere.* vnde fit vt axio-

 ma

ma illud iuris, quod priuilegio Principis acquiri poteſt, idem etiam conſuetudine immemoriali, hoc in caſu patiatur exceptionem, cum ſcilicet quis eſt incapax poſſidendi & conſequenter præſcribendi abſque priuilegij titulo.

Hoc modo laicus etiam principali ac Regia poteſtate fulgens, iura ſpiritualia poſſidere non poteſt, *cap. cauſam quæ. de Decimis Nauar. Concil. 1. nu. 8. de foro compet.* & tamen per conceſſionem Pontificis capax fieri poteſt; tunc enim non agit auctoritate propriâ ac ſeculari, ſed potius Apoſtolica, *Paulus Layman in ſuis quæſt.*
3. *Canon. cap. 3. quæſt. 19.* Atque hac facultate vtitur Imperator vbi nouiter electus eſt, vt in ſingulis Imperij Collegijs Eccleſiaſticis vnum commendet, ſeu pro vno precetur qui recipiatur in Canonicum vel Prælatum, vti ex ſeriè indulti Precum videre eſt, quas ego ante aliquod annos primus quod ſciam Commentarijs illuſtrare tentaui.

Apuliæ quoque Rex dicitur auctoritate S. Pontificis habere ius
4. inueſtitutarum. *glo. in c. in ſummâ. verb. Eccleſias. 16. q. 7.* Sic etiam Regibus Hiſpaniæ Epiſcopos Toletanos Archiepiſcopo nominandi ac præſentandi ius competere compertum habes ex Concilio Tolet. 12. *Can.* 6. vt & ius præſentandi ijs Regibus in ſuis Regnis Abbates, & alios Præfectos Eccleſiarum Collegiatarum ſecularium & Regularium ſaltem Conſiſtorialium ex Nicolao Garcia *de benef. part. 7. cap. 10. nu. 14.* Item Galliæ Regibus in Delphinatu poteſtas conceſſa eſt Epiſcopos aliosque Prælatos nominandi ac S. Pontifici præſentandi, *Concil. Lateran. ſub Leo. X. ſeſſ. 11. in epiſt. Leonis.* Imò Principes Regibus quoque inferiores, veluti Saxoniæ Duces, & Comites Flandriæ, alijque id genus, talibus interdum priuilegijs gauiſi ſunt, hodieque gaudent. Certumque eſt, *teſte Boët. Epone, tract. de Regal. nu. 280.* Carolum V. Imper. & Philippum II. in hac qualitate eo priuilegio vſos eſſe quidem, ſed priuilegij in Abbatum & aliorum Præſulum prouiſionibus nominatim ſemper facere mentionem; Confirmationibus

tionibus, & institutionibus, neque non consecrationibus Ecclesiasticis per omnia in suo robore manentibus. Ac licet Rex Catholicus in suis ditionibus belgicis simul meminerit in prouisionibus Abbatum, vltra priuilegium Pontificium, iuris quoque Regalium, additis etiam hisce voculis, *vel aliter*, id tamen hactenus accipiendum est, quatenus patrocinatur immemorialis consuetudo vti supra annotatum est, qua cessante, ac priuilegio Pontificio, inciderent in censuras Concilij Lugdunensis. *de quibus in cap. Generali Constitutione, de Electio. in 6.* & meritò, cum sint, vt inquit Reuerendissimus Genebrardus Episcopus ad Aquas Sextias *lib. 1. de sacrar. elect. iure, cap. 1*, diuino iuri aduersæ & contumeliosæ eiusmodi nominationes, tyrannicæ, simoniacæ, sacrilegæ, libertati Ecclesiasticæ & pijs fundationibus contrariæ, diuinis denique censuris & vi politica exterminandæ.

Ecce, Gregorius VII. Cognomento Hildebrandus Romam 5.
conuocauit 110. Episcopos teste Vincentio *in speculo lib. 26. cap. 82.* Crantzio *lib. 5. Hist. Saxo c. 6.* in qua Henricus IV. Imperator primus Nominationum ac potius nundinationum dignitatum auctor, non solum fulmine Apostolico percussus est, verum etiam quotquot ab ipso, vel ab alijs laicis reciperent Inuestituram, ita Nominationes appellabant. *cap. per laicos.* 16. *q.* 7. His vestigijs insistens Victor qui Gregorio successerat, *chronicon Cassin. lib. 3. cap.* 71. Concilium habuit Beneuenti, ac in eo Henricum Imperatorem, & Henrici occasione, cæteros Principes laicos præsumentes conferre Sacerdotia, simulque Clericos accipientes, simoniacos declarauit excommunicauitque, *Polyd. Hist. Ang. lib. 11. & de Inuen. rer. lib. 4. cap. 10.* Eo enim exemplo tunc allecti Principes vbique ferè gentium, ceperunt ius declarandorum Episcoporum & Abbatũ sibi arrogare, *teste eodem Genebrardo* cum hactenus partim penes Clerum, partim penes Monachos extitisset, *anno 1080. Amil. lib. 3.*

Rursus Vrbanus II. Gallus ex Diœcesi Rhemensi Gallicano 6.
Conci-

Concilio adegit Henricum Suessionum Episcopum, Episcopatu quem à Philippo Rege acceperat, cedere, cumque Ecclesiæ arbitrio reddere, *anno 1094*. Paschalis verò eius etiã nominis II. Ludouicum Crassum eadem, quæ Henricus IV. in Gallia molien-
7. tem, diris ad sanitatem reduxit. Ac tandem Henricum cunctos penè Principes suo exemplo corrumpentem, atque ad beneficiorum distributiones inescantem, per Moguntinum, Coloniensem, & Wormatiensem Præsules, insignibus Imperatorijs exuit, eaque Henrico filio cum Imperio tradidit. Cũque posteà certis artibus Henricus V. ab eodem Paschali ius assignandorum Episcopatuum & Monasteriorum in suis ditionibus impetrasset, nouæ turbæ exortæ sunt: Nam non iam vsurpationis argui poterat Imperator quod priuilegio Apostolico (cui hodiè in Gallia Concordatorum inter Franciscum Regem & Leonem X. Pontificem speciosum nomen inditum est) niteretur: præualuit tamen Ecclesiæ auctoritas & prima sententia, atque huiusmodi Cõcordata *teste Platina, Abbate Vsperg. Crantzio lib. 5. cap. 34. & 37.* Concilium Lateranense geminum viuente adhuc Paschali rescidit, Imperatorem proscripsit, & anathema extendit in reliquos Principes, qui deinceps idem tentarent & aggrederentur, & assequentes beneficia per laicam manum quæ à S. Sede facultatem ad id
8. non habet, cœtu etiam piorum interdicebantur; qui enim ex Indulto Apostolico vti Carolus Magnus & alij nonnulli, vel præscriptione longissimi temporis cum iusto titulo Collationibus aut Nominationibus vtuntur, minimè improbantur, præsertim cum ante inquiruntur à Capitulis suffragia super doctrina, pietate & moribus nominandorum, reseruatis quoque confirmationibus & consecrationibus Ecclesiasticis Præsulibus antiquo more.

Ita enim rectius probari explorarique possunt qui à Collegio constituuntur quam ab Aulicis Regijs, apud quos nec perspecta sunt proborum merita, nec quicquam obtinetur nisi fauore, gratiâ, adulationibus, prauis obsequijs, & corruptelis, & postpositis viris

viris doctis, litteratis, virtute præditis, & charactere clericali insignitis, qui columina Ecclesiarum esse possunt, proponuntur ac potius assumuntur ignari, Epicurei, famuli, creditores, facinorosi, & voluptatum exactionumque Architecti, abiecti, terræ filij, denique patrimonium Christi, id est pauperum consumere nati.

Ex quo fit vt aliud ex alio malum serpat, adulatio dissimulatioque: Qui enim per homines sibi ipsis potestatem acquisiuerunt, inquit S. Basil. *Epist. 69.* serui sunt eorum quorum fauore adiuti sunt, atque exinde diuersa hæreseon monstra, id quod in sua Gallia probat Reuerendissimus Genebrardus Aquarum Sextiatum Archiepiscopus, *d. tract. cap. 2. nu. 13,* vtens testimonio ac potius vaticinio Gregorij, *lib. 4. epist. 53.* qui quondam Childe- 9.
berto prædixerat, si in suo regno laici ad sacrosanctos honores proueherentur, causam fore in Gallia hæreseon, ac tamdiu in ea duraturas hæreses, quamdiu illa viguisset: quod quidem nostra & superior ætas tum ibi, tum alibi, euenisse satis superque ostendit: vt sanè liceat nobis cum Propheta ingemiscere, *Hierem.* 9. Quis „ dabit Capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, vt „ plorem die ac nocte profanationes populi mei? quis constituet „ me in solitudine, vt derelinquam populum meum, recedam ab „ eo, ne videam contaminationem sanctuariorum eius.

CAP. V.

De Infelici exitu Collationum & Nominationum, ac eorum qui sine S. Sedis Indulto ijs vsi sunt.

SVMMARIVM.

1. *Miser exitus Henrici IV. Imp. qui primus Ecclesiasticam libertatem pessumdedit.*
2. *Frederici item duo, & nonnulli Franciæ Reges eandem ob causam infælices fuêre.*

 3. Vt

3. *Vt & Valesij Principes.*

4. *Nominationes deterrimæ in Ecclesia Dei.*

MEminimus suprà Henrici IV. Imperatoris, qui primus in libertatem Ecclesiasticam inuolauit, iura electionum sacrarum violauit, sanctiones Canonicas sacrilegè pessumdedit: quem ne quidem monstrum illud impietatis & Ecclesiastici iuris funambulus Caluinus probare potuit, appellans illum *lib. 4. Instit. cap. 11. sect. 13.* hominem leuem & temerarium, nullius Consilij, magnæ audaciæ, & vitæ dissolutæ, qui Episcopatus totius Germaniæ haberet in Aula sua partim venales, partim prædæ
1. expositos, at quid eo factum? Primùm à Gregorio VII. à Cœtu piorum Concilioque fidelium semotus est. Imperio spoliatur, *Teste R. D. Ioanne Chapeauille Vicario Leodiensi, Annalium tom. 2. cap. 9.* & tandem Leodium profugus, violentas proprij filij fugiēs manus, ibidem moritur *anno 1106.* & in Ecclesia maiori S. Lamberti antè altare B. Mariæ humo mandatur: quam ob causam malè apud Ecclesiam Romanam audierunt Leodienses, donec tandem, quod in anathemate obijsset, ita præcipiente Papa Paschali indè eum eiecissent, & extra Ciuitatem in monte quem hodie incolunt Carthusiani sepelijssent. Notum est etiam mortis genus
2. quo ad inferos transuecti sunt nonnullo post interuallo duo Frederici auus & nepos, qui (teste & ita scribente doctissimo & religiosissimo Antistite Genebrardo) de hac conferendi Episcopatus & Sacerdotia facultate, quam Cæsares spacio centum & quinquaginta circiter annorum vsurpauerant, concertationem contrà Romanam Ecclesiam aggressi fuerant. Tandem vicit eos Christus, adeò vt facultatem istam, inquit Crantzius, relinquere Ecclesijs propter infortunia coacti fuerint. Si Galliam petamus, ibi videbimus exitus infœlicissimos Clodoueanorum & Carolinorum; penes quas duas familias rerum Francicarum summa tunc extitit, quando nimirum ausi sunt quasi Regali iure potestatem

ſtatem creandi & inſtituendi Paſtores ſibi aſſerere : nam breui iuſto Dei iudicio odiū in ſe populi concitarunt, ac à ſuis laceſſiti, tandemque circumuenti dignas ſacrilegorum pœnas luerunt, atque ità ſuam gentilitatem è Monarchię Principatu excuſſerūt. Quid mirum? eo res tum redacta erat, vt Nobilibus laicis non ſolum opes, & præfecturæ Monaſteriorum aſſignarentur, ſed nomina etiam illis attributa eſſent, adeò vt equites armati aſſumerēt Abbatum titulos, & ſuas vices gerentibus Decani duntaxat vocabulum relinquerent, quales hodie ſunt quos fiduciarios, ſiue Confidentiarios, ſiue cuſtodios barbaris (vt ſacrilegium eſt barbarum & Simoniacum) appellamus. Comtemplemur iam poſtremos Valeſiæ gentis Principes; hi à Franciſco primo Nominationum iſtarum fonte & Electionum extinctore, ad Henricum III. eius nepotem intra 47. annos ab vnico Philippo Hiſpaniarum Rege, vniuerſi infœliciter ſepulti ſunt. Franciſcus Rambolętij, inquit idem Antiſtes Gallus, in aliena domo lue venerea 3. conſumptus eſt; è tribus liberis ſuccedendo idoneis, vnus Lugduni potione aquæ medicatæ ſublatus eſt; alter ſcrinio è ſuperioribus decidente, oppreſſus, Henricus II. Rex in ludo lanceario ligni fragmine inter medias voluptates & gaudia proſtratus, & extinctus fuit. E quinque filijs quos pueros Henricus ſuperſtites reliquerat, viroſis edulijs extincti nonnulli, & omnes illiberi ſunt ante diem mortui. Plures referri poſſent eiuſdem farinæ, ex quibus clarè conſtare poſſet, vſurpatores libertatis Eccleſiaſticæ, & Sacrarum electionum violatores, morte violenta ereptos eſſe: pleni etiam Conciliorum libri & Canonum Anathematis & diris aduerſus iſtas per Principes laicos promotiones, plenæ item Hiſtoriæ, quæ docent inuentum Nominationis ſternere viam ad 4. regni amiſſionem & Regiæ ſtirpis conſumptionem. Eſt enim Thuribulum Oziæ Regis. 2. *Paral.* 26. eſt iniectio profanæ manus Ozæ in arcam Domini 2. *Reg.* 6. eſt Saulis ſacrorum contrectatio, non expectato vel curato Samuele. 1. *Reg.* 13. eſt deni-

que malorum omnium Odissea, quam sequuntur extinctiones familiarum, Regum, ac Principum & Rerum publicarum mutationes, & interitus, per quam introducuntur mille sacrilegia, contrectando nimirum res sacras inuitis Dominis, oritur S. Sedis contemptus, dum plerique non recurrunt ad S. Sedem pro confirmatione, introducuntur infinitæ Simoniæ & Confidentiæ, vbi à Principe dignitates aliaque officia loco mercedis, dotis, præmij distribuuntur, eneruatur ac potius è medio tollitur Regularis disciplina. Quare hoc caput concludam cum Ezech. *cap. 46. Ne depopulamini vltra Principes populum meum, sed terram relinquatis Domini Israel secundum ritus suos.*

CAP. VI.

De Aduocatis Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1. *Aduocatiæ definitio.*
2. *Aduocatiæ duplicis sunt generis.*
3. *Aduocatitium honorarium Aduocatiæ secularis.*
4. *Aduocatia degenerans.*
5. *Aduocati Ecclesiarum, qui?*
6. *Aduocatia Ecclesiastica, quæ?*
7. *Reges & Principes Aduocati & Protectores Ecclesiæ sunt, aut esse debent.*
8. *Godefridus Bullonensis Aduocatus Dominici sepulchri.*
9. *Abusus Aduocatorum.*
10. *Cistercienses liberi ab Aduocatis.*
11. *Aduocati iniurij Atrebaten. & Cameracen. Episcopia.*
12. *Vt & Ecclesijs Franciæ.*
13. *Aduocati iure suo abutentes, Aduocatia olim priuabantur.*

Acturus hoc capite de abusibus Aduocatorum, quos vulgo *Voüez*, aut *Aduoüez* nuncupamus, lubet præmittere definitionem

nitionem Aduocatiæ. Est ergo Aduocatia, dignitas personæ capaci ad defensionem certi loci, aut Ecclesiæ data, *cap. Saluator* 1. 1.
q. 3. c. In quibusdam, de pœnis, c. 2. de Iure patron. Ex qua definitione patet, duplicis esse generis Aduocatiam quarum vna est secularis, de qua alibi scripsimus *lib. 2. Thesuauri Polit. aphorism. lib.* 2. 2.
cap. 11. & Ioannes Pitœus, *tract. sur les coustumes de Troies, tit. de l'origine des comptes.* Quæ consistit penes vnum aliquem Principem, aut Nobilem, seu protectorem alicuius loci, villæ, Reipub. cui ob defensionem datur honorarium, quod Aduocatitium dicitur & ista in duplici erat differentia. 3.

Nempè vna quæ consistebat in executione sententiarum criminalium, pro qua dabatur merces & honorarium, quod plærumque consistebat in tertia parte emendarum, ac etiam in venatione, piscatione, alijsque iuribus generis eiusdem, ipsi Aduocato ex institutione Aduocatiæ, aut etiam præscriptione, consuetudine vel certo legitimo titulo acquisitis. Et ista potest dici Aduocatia degenerans, cum propriè illius exercitium non consistat in defensione, sed duntaxat in executione sententiarum criminalium. 4. Alia quæ generalior erat, continebat ius protegendi ab omnibus iniurijs ac violentijs res ac personas Aduocatiarum patrocinio commissas, similesque sunt defensoribus Ciuitatum, sic quod ista Aduocatia propriè consisteret in sola defensione. At, cum nostri instituti non sit de istis tractare, sed solum de Aduocatis Ecclesiarũ, remitto cupidum lectorem ad tractatum singularem Erasmi à Chokier Fratris mei, vbi materia hæc succintè dilucidèque tractatur, & ad tractatum Martini Mageri de Aduocatia armata. 5.

Alterùm genus Aduocatiæ, est ius quoddam Ecclesiasticũ, de quo hic propriè agitur, & est celebris de ea Constitutio Gregorij X *in Concilio Lugdunensi, relata in cap. 2 de Reb. Eccles. non alien. in 6.* quod sic describitur, vt sit tutela & defensio Sacerdotalis alicuius Collegij veluti Abbatiæ, & Monachorum, quibus prædia 6.
& vecti-

& vectigalia quædam attributa sunt, quorum nonnulli potentem aliquem, vel Comitem, vel alium nobilem sibi defensorem & patronum cooptabant, *Hottoman, in Dictionario verborum feudalium, Verbo Aduocatus. Tiber. Decian. Resp. 117 nu. 17. vol. 3.* de qua Aduocatia hîc propriè agemus.

Porrò, antiquitus Reges & Principes atque adeò Imperator
7. ipse, qui summus est Aduocatus & protector Ecclesiæ, *vt ostendi in meo tractatu a. l. Preces primarias, Sectio. 2. verbo Aduocatum*, non solum regia potestate res & personas ad Ecclesias & Monasteria pertinentes ab iniurijs defendebant, sed singulari pietatis propensione Ecclesiæ defensores, Aduocati atque Conseruatores dici haberique volebant, *Guil. Durand. Specul. de modo Concilij celeb. part. 2. rub. 40. de defens. Eccles. cap. Principes. cap. rerum. cap. Administratores. 23. q. 5.* Imò potestas eligendi Aduocatos non solum per Imperatores, sed etiam Pontifices, Archiepiscopos, & Monasteriorum fundatores, Abbatibus concedebatur, vti latè probat D. Martinus Magerus *in d. suo tractatu de Aduocatia armata*
8. *cap. 5. nu. 452.* Vndè inclytus ille Godefridus Bullionensis cum tria amplissima patrimonia, suum, fratris, & matris partim oppignorasset, partim vendidisset vt copias sacri belli cuius Dux erat, aleret, ac tandem victor expugnata Hierosolyma redijsset, ab omnibusque Rex salutaretur, contempto Regis titulo sese Aduocatum Dominici Sepulchri, vocauit, existimans hunc titulum gloriosiorem esse, quàm sit Regij fastus nomen, & dignitas. *Io. Molan. tract. de Canonicis lib. 2.* cap. 46. Verum, inso-
9. lentia, & auiditas eorum qui olim designabantur ad præsidium defensionis, & protectionis Ecclesiarum, eo vsque in nonnullis regionibus excreuit, vt ausos videamus prorumpere in dispendium & depressionem illarum, & nedum personis, sed & bonis possessionibusque Ecclesiasticis iniurios esse: quo factum vt ceperint esse exosi, ac varijs sanctionibus ac Conciliorum decretis circumscripti fuerint, *cap. indicatum, dist. 89. Zasiu. tract. de feudis*

part.

part. 10. *de feudi amiss. nu.* 55. *cap. in quibusdam, de pœnis, cap. præterea* 2. *de Iure patro. Wames. consil.* 481. *in pr. tom.* 1.

Qui sanè abusus, meritò mouit ordinem Cisterciensem, vt à 10.
Conrardo Romanorum Rege anno 1240. obtineret omnem immunitatē ab omni Aduocatorum genere, teste eodem Martino Magero, *de Aduocatia Romana cap.* 5. *nu.* 443. sed & Arluinus
Episcopus tunc Cameracensis à S. Sede simili priuilegio im- 11.
munitatis ab iniuria Aduocatorum, donatus est; quanquam paucorum modò annorum alcedonia illa fuerunt; rursum enim exagitare ceperunt Ecclesiam Atrebatensem & Cameracensem, id quod omniū maximè expertus fuit Gerardus Arluini successor toto ferè tēpore muneris sui Episcopalis, vt notat Boët. Epo. *tract. de Regal. nu.* 260. Valentis Imperatoris insignis Ecclesiarum expilatoris formidabilis narratur exitus, quem Sozomenus refert *lib.* 6. *Hist. Eccles. cap.* 11. ad quem lectorem remitto, studemus enim breuitati.

Sed & aliorum commemoratione supersedeo, qui in Gallia 12.
tempore Caroli Simplicis, *teste Æmili. lib.* 3. *Hist.* Cœnobiorum opes beneficio Regum acceperant, Monachisque tantum in victum suppeditabant, quantum necessarius dumtaxat vsus postularet. Serpsit abusus iste latius, quem vt suo tempore tolleret Imperator Fredericus Barbarossa edicto cauit, *in Constit. de pace tenenda & eius violatoribus*, §. *publici latrones*, *vers. quamque Aduocatiam.* Aduocatos susceptæ protectionis iure abutentes &
malè in Aduocatiâ versantes, præter antiquas Canonum pœnas 13.
de quibus in cap. Hac consultissima, de rebus Ecclesiæ non alien. cap. quia clerici, de Iure patron. d. cap. præterea, eod. tit. cap. in singulis, de statu Monach. eadem Aduocatia priuandos esse, & alios quoscumque, feudi beneficio, exuendos, *Zasius d. loco.*

CAP.

CAP. VII.

Rursum de Aduocatis, & Defensoribus Ecclesiarum.

7. *SVMMARIVM.*

1. *OLim omnes zelo magno decertabant pro defensione Ecclesiæ.*
2. *Decretum Concilij Carthaginensis pro patrocinio Ecclesiæ aduersus potentiorum iniurias.*
3. *Aduocatorum munus inuentum, nedum pro Ecclesiæ defensione sed etiam, vt Ecclesiastici quietius & liberius Deo inseruiant.*
4. *Decretum Arcadij & Honorij Impp. vt Ecclesijs dentur defensores & Aduocati.*
5. *Producuntur eius rei exempla.*
6. *Imperatores sese Aduocatos Ecclesiæ nominabant.*
7. *Aduocati Ecclesiæ Leodiensis, qui?*

PRiscis illis, id est aureis seculis, tantus erat quà Principum, quà Nobilium ergà Ecclesiam affectus & zelus tantus, vt malè agi secum quisque putaret nisi singulare aliquod illius pa-
1. trocinium susciperet, hastasque vt sic dicam amentatas pro illius defensione sumeret, adeoque occasu suo libertatem, securitatemque ei repræsentaret. Nimirum, vt gloria Filij est decus & dignitas parentum: ità antiquorum isti hominum homines, fortunas suas à fœlicitate Matris Ecclesiæ metiebantur, Idcircò rogati, quin & vltrò, summi Principes & Potentes Dynastæ Ecclesiarum patrocinium suscipiebant, talesque vel Aduocati, vel defensores Ecclesiarum dicebantur, de quibus Concilium Carthaginense V. his verbis: Ab Imperatoribus vniuersis visum est auxilium postulandũ, propter afflictionem pauperum, quorum molestijs sine intermissione fatigatur Ecclesia, vt defensores eis aduersus potentiam diuitum cum Episcoporum prouisione delegentur, *cap. ab Imperatoribus, 23. q. 3.*

Neque

Neque modò ob potentiorum iniurias propulſandas Aduocatorum præſidio eſt vſa, ſed etiam vt ab humanarum rerum curatione & gubernatione ſemoti, liberius quietiuſque Deo ſeruirent, Vnde de Monachis, ne mundanis ſeſe immiſceant negotijs, peruulgatus olim ab omnibus Imperij Statibus communiter approbatus eſt Canon, Monachis ſecularium vſum interdicens: cuius quidem Ludouicum I. Imperatorem Caroli Magni filium auctorem fuiſſe nonnulli autumant. 3.

Quia tamen Monaſteria Principum liberalitate vt rectè notat Martinus Magerus *tract. de Aduocatiâ armata cap. 5. nu. 107.* ſæpiſſimè ampliſſimis territorijs, oppidis, arcibus, pagis, caſtris, aquis, piſcinis, paſcuis, ſyluis donabantur, vti ex innumeris antiquorum Principum largitionibus euidens eſt, ne profanis irretiti curis ac cogitationibus Abbates ac Monachi ſecularia negotia ſpiritualibus omiſſis tractare cogerentur, ſingulis propè Monaſterijs ab Imperatoribus ac Regibus laici potentes, quibus omne adminiſtrandæ rei politicæ ſtudium incumberet, conſtituti fuerunt; ne religioſi ac Monachi, qui rerum cœleſtium deſiderio & vitæ ſolitariæ ſollicitudine, mundanas vanitates deſeruerāt, rurſum per ſecularium tractationem à diuino ſtudio abſtraherentur, & earum quaſi contagio inquinarentur.

Hinc in Concilio Mileuitano ſub Arcadio & Honorio Auguſtis, *cap. 27.* ſtatutum vt Eccleſijs darentur defenſores & Aduocati, qui defenſionem Eccleſiarum ſuſciperent, haberentque facultatem pro negotijs Eccleſiarum, quoties neceſſitas flagitauerit, vel ad obſiſtendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad neceſſaria ſuggerenda, ingredi Iudicum ſecretaria. 4.

Et horum Aduocatorū defenſorumq; exempla pluſcula producit idem Magerus, & inter alia Alberonis Epiſcopi Treuiren. qui Hermannū Comitē Palatinū, *an. 1148.* Aduocatū eiuſdē Eccleſiæ atque Epiſcopatus ſibi cooptauit. Itē Ludouici I. Imperatoris qui *anno 1324.* Eccleſiæ & Monaſterio S. Maximini eiuſdē Tre- 5.

in Archiuis Ecclesiæ Leodiensis Aduocatiarum cognitiones, verum, quia his plærique abutebantur, idcirco re maturè discussâ, resolutum est illos demum Aduocatos Ecclesiæ Leodiensis dicendos qui auctoritate Regum suffulti essent, & nihil amplius exigerent, nisi quod auctoritas priuilegiorum permitteret, vti latius videre est in lib. 1. chart. Ecclesiæ Leodiensis. 7.

CAP. VIII.

De abusibus Aduocatiarum.

SVMMARIVM.

1. *ORigo & causa Aduocatiarum.*
2. *Prudentiores Cænobitæ Aduocatis carere voluerunt.*
3. *Cistercienses Aduocatis semper caruêre.*
4. *Abbatia Epternacensis fundata per Pipinum Francorum Regem, ideòque exempta ab omni Aduocatia.*
5. *Mundiburdium, vox Longobardorum.*
6. *Ecclesiæ plurimum grauantur per Aduocatias.*
7. *Aduocatia de Fleron valde noxia Ecclesiæ Aquensi & Leodiensi.*
8. *Dominium de Fleron fuit & est ressortus & Iurisdictionis Imperij, quicquid secus declarauerint Brabanti.*
9. *Taxantur sequiores Aduocati.*
10. *Principes seculi Deo se rationem reddituros cognoscant qui Ecclesiam iuribus suis spoliant.*

TAmetsi Aduocatiæ eo consilio olim inuentæ constitutæq; sint, vt sarta tecta per eas Ecclesiarum, Monasteriorum, verùmque Deo dicatarum iura conseruarentur, *Zasius lib. 2. cons. 7. nu. 6. & 7. Cardin. in cap. Præterea, de Iure patro.* audimus nihilominus aut certè ægris oculis conspicimus, quos experiri de- 1

buisset Ecclesia tutelares Aduocatos & Patres, sensisse oppressores, prædones, & tyrannos.

2. Inde opinor factum, vt quique sagaciores & Sacratiores Cœnobitæ, semper Aduocatis carere sustinuerint: vt in Cisterciensibus legimus, quibus ne quidem volentibus vllis temporibus darentur Aduocati, lege Conradi IV. Romanorum Regis statutum fuit, teste Molano *lib. 2. de Canonicis cap. 46.* qui scribit Ordinem istum ab omni Aduocatorum genere iuxta primariam
3 institutionem suam semper liberum extitisse. Ita Cæsariensis Monasterij conditor Henricus Comes de Lechsgemundt in fundatione sua disertis verbis inhibuit ne fratres istius Cœnobij vllum Aduocatum præter filium Virginis haberent, aut susciperent.

Sic & Pipinus senior Francorum Dux, Caroli Martelli parens
4 amplissimum ac opulentissimum Monasterium Epternacense prope Treuiros quod *anno Domini 696.* rogatu S. Wilbrodi fundauit, ab omni protectorum iugo liberum & nullius nisi solius Dei Mundiburdio subsistere voluit. Verba priuilegij hæc sunt: Ita volumus Abbatem nostrum Epternacẽsem exemptum, vt nullius subsistat Mundiburdio, nisi solius Dei. *Mundiburdium* vox Barbara longobardorum id est tutela, quæ etiam affinitatem
5 habet cum Gallica Mumburnia, *Cuiacius lib. 2. de feudis, cap.* 4.

Eundem in modum celeberrimum monasterium Saleuritanum ordinis Cisterciensis in Episcopatu Constantiensi situm, quod circà annum 1130. Guntraminus liber Baro de Adelfrentin liberaliter fundauit, ne alium post Deum Opt. Max. Aduocatum excepto solo Romanorum Imperatore, haberet aut susciperet edicto sanciuit, *Mart. Magerus de Aduocat. arm. cap.* 1. *nu. 29. 30. & 32.* vbi scribit Imperatorem Fridericum II. cum ei innotuisset quantum detrimenti Barones de Saxen olim Aduocati & Protectores Monasterij Fabariensis in Churiensi Diœcesi & Rhetiæ alpibus siti, à Carolo Martello anno Christi 734. extructi, eidem Cœnobio

Cœnobio intulissent, tandem illud *anno.* 1257. ab omni Aduocatiæ onere liberauit.

Res est tandem ita decantata vt exemplis alijs opus non habeat cum exploratissimum sit non sublevari sed opidòquàm grauari Ecclesias atque Prælatos, qui prætextu subsidij, Aduocatos adsciscentes, extrema quæque passi sunt, in quos apertè cadit Aesopeus ille Apologus apud Sigonium *lib. 18. de Reg. Ital.* 6.

Accipitrem milui pulsurum bella, columbæ
Accipiunt Regem: Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia satius esset
Milui bella pati, quam sine marte mori.

Omitto diuersa decumanaque mala quibus obnoxiæ sunt Ecclesiæ quæ huic arundineo Aduocatorum præsidio innituntur. Quod vt domestico exemplo ostendam, cogit me recens rei indignitas summæ iniustitiæ coniuncta. 7. Extat intra primum à Ciuitate nostra lapidem Dominium de Fleron, quod ab Ottone Imperatore *anno Domini* 972. Ecclesiæ Regali Aquensi pro illius decore, & cultu, quo in Diuam Virginem illius Ecclesiæ patronam ferebatur donatum est. Illud autem Dominium purum putumque erat Allodium Francum ac liberum, nemini ratione feudi subiectum, solum Imperatorem à quo processerat recognoscens, ad quem etiam in causis appellationum, & non alium, à tempore hominum memoriam excedente recursum est. Verùm cum potentiorum iugo grauaretur ista Ecclesia, bellisque, vt assolet, infestaretur, ad Dominum in Rochette potentem satis, ac Ecclesiæ Aquensi vtcumque vicinum, tanquam sacram ad anchoram confugit, eumque sibi Aduocatum assumpsit, data illi in feudum Aduocatià, quod quam benè isti Ecclesiæ eiusve nunc cessionario Episcopo ac Principi Leodiensi cesserit, ex infra dicendis facilè patebit.

Igitur cum territorium istud Dominij de Fleron ab omni æuo esset Iurisdictionis & ressortus, vt loquuntur, Imperij, vtpotè 8.

quod illius incolæ & contributiones Imperiales semper exsoluerint, & pendentibus hisce belgicis bellis tanquam veri Imperij subditi, neutrales semper habiti fuerint, quin etiam ab omni æuo in causis ciuilibus Magistratum Aquensem appellauerint, & exindè Cameram Spirensem. Nihilo secus vt Ecclesiam iuribus suis fraudaret & Vasallum subditumque Ducis Brabantiæ se iactaret tam modernus Aduocatus, quam eius pater prętextu altę Aduocatiæ quam effingebat, & quam à Duce Brabantiæ vti Comite d'Alhemiensi prætendebat releuasse (quod vanum esse inde constat quod superioribus annis, id est anno 1621. ipsamet Cancellaria Brabantiæ nullam esse Aduocatiam altam declarauit, sed nudam ac simplicem Aduocatiam quæ ab Ecclesià tantum Aquensi releuata esset) per sinistras eiusdem moderni Aduocati informationes, territorium istud Dominij de Fleron iuris & ressortus esse Brabantiæ nullo ex parte Imperij aut Ecclesiæ audito vel vocato, Cancellaria Brabantiæ declarauit: quin etiam ne alià quam ad eandem Cancellariam per Incolas illius Municipij, appellationes deinceps deberent interponi, iudicauit. Ita Aduocatus qui Ecclesiæ Iurisdictionem sartam & tectam tueri debuisset, illam despicatui habere, ac ad laicos transferre studuit, imò leges Imperij interuertere, ipsum nunc Episcopum Leodiensem Principem Electorem in possessione Dominij de Fleron iuris & ressortus via facti priuare, personas, res, merces, equos, & alia sine auctoritate aut Iudicis decreto arrestare, componere, deque ijs pro arbitrio disponere, recursum ad Imperium vetare, Iustitiarios Imperio fideles & alios quoslibet indictâ causâ incarcerare, & in priuatis carceribus Castro nimirum suo, la Rochette, nuncupato, constituere, etiam contra ipsam sententiam anni 1621. cui alioqui ipsemet innititur, sua attentata vi ac impressione, priuilegiorum ducatus Brabantiæ prætextu fulcire ac protegere, eosque omnes prosequi qui Imperio Fidelitatem continuare, & iura Imperij conseruare satagerent, non dubitauit, vt

sic

ac sensim, territorium istud quod inter Leodienses & Aquenses medium est, ditioni Regiæ contrà ius & æquitatem coniungeret, quod sané nec Deum iustum, nec Cæsarem inuictissimum, qui iam pridem mandata ad Iustitiarios & subditos de Fleron pro continuanda Imperij Iurisdictione relaxauit, inultum relicturum omninò confidimus.

Ex quibus videmus quam verè scripserit Doctor ille Zasius, *de Feud. parte 10. nu. 55.* quod Aduocati isti pro defensione, ad quam tenentur, Ecclesias & earum subditos sæpè supprimunt, pro patrocinio oppugnant, subterunt, spoliant, grauant, premunt, flagellant, personisque & rebus, bonis, priuilegijs & iuribus Ecclesiarum abutuntur contra Canonum prohibitionem. 9.

Audiant isti pauidâ aure quod habetur, in cap, Principes, *23. quæst. 5.* Principes seculi nonnũquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eandem potestatẽ disciplinam Ecclesiasticam muniant, &c. Cognoscant Principes seculi Deo se reddituros rationẽ propter Ecclesiam quam Christo tuẽdam suscipiunt, &c. & in c. nulli 12. q. 2. Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, siue homo, siue animal, siue ager, Sanctum Sanctorũ Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum, propter quod inexcusabilis erit omnis, qui quæ à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit, vsque ad emendationem Ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus iudicetur, & si emendare noluerit excommunicetur. Hactenus canon. 10.

CAP. IX.

Taxantur qui Sacerdotibus contumeliosi sunt, ijsue abutuntur. Damnatur Polygamia Spiritualis.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdotes ab omnibus nationibus semper venerati.*
2. *Apud Romanos quo in honore Sacerdotes.*

3. Apud

Quid quod Aetiopes vt auctor est Pierius *Hierog. lib. 20. cap. de noct.* tantùm ipsis tribuebant, vt si quibus dicerent Deos nolle vlterius eos superesse, è vestigio manus sibi afferrent, moxque mortalitatem explebant.

Apud Romanos verò, etiam in negotijs publicis præcipuum ac digniorem locum obtinebant, ita referente Arnobio, *lib. 4. aduersus gentes*, sedent, inquit, in spectaculis publicis Sacerdotum omnium Magistratuumque collegia, Pontifices Max. & Curiones, sedēt quindecim viri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: sedent Augures, Interpretes diuinæ mentis & voluntatis, nec non & castæ Virgines perpetuæ nutrices & conseruatrices ignis. Testantur & sacræ litteræ, *Genes. c. 47.* iam olim Pharaonis tempore tantam Sacerdotibus habitam fuisse reuerentiam, vt cum per vniuersam Aegyptum magna esset rei frumentariæ caritas, vt fame necarentur homines, conarenturque omnia sua prædia Pharaoni vendere, idem Pharao noluit vt Sacerdotes bona sua distraherent, sed ea in perpetuum retinerent ac cibaria statuta ex horreis publicis haberent. Apud Gallos: Hominum, inquit Cæsar, qui in aliquo sunt numero atque honore genera erant duo: Alterum Druidum id est Sacerdotum. Alterum Equitum. Illi rebus diuinis intererant, sacrificia publica & priuata procurabant, religiones interpretabantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore: nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisque constituunt, & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, ijdem decernunt, præmia pænasque constituunt, si quis aut priuatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificijs interdicunt: hæc pœna apud eos est grauissima: quibus ita est interdictum, illi numero impiorum ac sceleratorum habentur, aditum eorum, sermonemque defugiunt ne quid ex contagione incommodi accipiant, ita Cæsar, *lib. 6. de bello Gall.* Sed veteres illos omittamus: Inter Græ-

4. cos Ecclesiæ Patres S. Ephrem exclamat, Sacerdotium esse miraculum stupendum, potestatem ineffabilem, venerandum Misterium, cœlum attingere, cum Angelis versari, *tom. 1. Serm.* S. Greg. Nyssen. *lib. de vita Moysis* probat ex diuina scriptura Sacerdotium rem non esse humanam, sed Diuinam. Chrisostomus *lib. 3. de Sacerdotio*, insaniam dicit esse manifestissimam Sacerdotes despicere, quos non modo plus vereri debemus, quam Principes, vel Reges, verum etiam maiori honore quam parentes proprios honestare. Vnde Constant. Imper. *Vt habetur in c. Sacerdotibus 11, q. 1.* in Concilio Niceno nec primum locum tenere ausus est, nec se præsbyterorum immiscêre concessibus, sed sedem nouissimam occupauit, sententias vero quas ab eis approbatas audiuit, ita veneratus est ac si eas à Diuinæ Maiestatis sensisset emanasse iudicio. Consonat egregia Imperatoris Basilij ad leo-
5. nem filium exhortatio: Si, inquit, quos natura tibi dedit paren-
„ tes, debes venerari, multo magis eos qui te in Spiritu Sancto ge-
„ nuerunt omni pietatis officio debes colere: Illi enim duratu-
„ ram ad tempus vitam liberis per generationem impertiuntur;
„ isti vero per æternam regenerationem largiuntur. Honora ergo
„ Ecclesiam Dei, vt tu vicissim in honore habeare, & Sacerdotes
„ eius reuerere tanquam Spirituales Patres & deprecatores pro no-
„ bis apud Deum. Honor enim qui Sacerdotibus habetur, in Deum
„ refertur; & sicut propter te ministros tuos in honore habere iu-
„ stum est, ita & propter Deum Sacerdotes eius magnificare & in
„ pretio habere sanctum est. Quemadmodum enim honor qui eis
„ habetur ad Deum pertinet: ita eorum contumelia & contemptus
„ longè grauius iram eius prouocat.

6. Nihilominus, sunt plærique nobiles adeò proiectæ audaciæ, vt non vereantur Christi Sacerdotes, quibus alioqui maior dignitas collata est quam Angelis teste D. Hieronymo *lib. de vita eremit & epist. ad Euangel.* abiectissimis officijs, verius dicam seruitijs, destinare, eorumque operam vilissimo deputare pretio.

Meo

Meo quidem iudicio, verbis vtar D. Chryſoſtomi, qui noſtros Sacerdotes deſpiciunt & contemnunt, multo ſceleratiores, ac maiori ſupplicio digni ſunt, quam Dathan cum ſuis omnibus, *lib. de Sacerdotio.*

Aſt, ego abuſum hunc acceptum fero ambitioni & cupiditati multorum, qui ſeipſos non Deum decipientes, vt loquitur. S. Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 17.* plura ſimul beneficia retinere non erubeſcũt cum certiſſimo animarum ſuarum periculo, *cap. quia in tantum, de præbend.* Nam cum plæroſque mediocris ſortis, licet interdum perhoneſtæ, vt vocationi ſuæ morem gerant initiari ſacris appetant titulo patrimonij, fit vt Sacerdotijs carentes, huic vitæ generi non reſpondente patrimonio, condecenter viuere & diuinis vacare ad vtilitatem animarum nequeant. Quod ſi ſingulæ Eccleſiæ ſiue ſingula Sacerdotia ſingulis conferrentur, arceretur à multis egeſtas, cum vix poſſunt plura beneficia ad vnum peruenire, vt ſcribit Rebuffus *in praxi tit. de diſpenſat. nu. 20.* ſine paupertate plurimorum. Accedit quod beneficiorum fundatores fraudentur ſua intentione, qui voluerunt Eccleſias prouidere ſuis miniſterijs debitis, quod pluralitate tollitur. *Vincentius Filliucius tract. Moral. quæſtio. tract. 41. cap. 7. nu. 3.* Denique litterarum ſtudia neglecta iacent: vtrimque enim ſpes bonorum debilitatur, ſcilicet, & quod meritorum ratio non habetur, & quod auida ditiorum auaritia impedimento eſt, ne inopes promoueantur. *Card. Bellar. in Admonit. ad Card. Theanenſem nepotem ſuum controuerſ. 5.* 7.

Quæ, aliæque cauſæ mouerunt Sanctos Patres nouiſſimi Concilij Triden. *d. cap. 17.* vt ſtatuerent vnum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferri, quod eſt conforme iuri diuino: nam vt habetur Iſaiæ 5. *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci, minquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?* Væ reuera talibus: quatinus ſunt genere quodam, dum alijs alimenta ſubſtrahunt, homicidæ, ve- 8.

CAP. X.

De Sacerdotum & Sacrorum immunitate, deque vindicta diuina in illorum violatores.

SVMMARIVM.

1. IMmunitas Ecclesiastica quo iure inuenta.
2. Druides, qui Gallis Sacerdotes, immunes à tributis.
3. Iure diuino immunitas concessa Sacerdotibus.
4. Quid in casu necessitatis?
5. Hodie licet prauo more, Ecclesiastici vix à secularibus secernuntur.
6. Caroli Martelli mors cur dubia.
7. Carolus Caluus ablata Ecclesiæ Rhemen. restituit.
8. Bona Ecclesiæ Aquilarum plumis comparantur.

DIximus superiori Capite quanto in honore olim fuerint, & nunc esse debeant Sacerdotes, dicemus præsenti sectione de illorum immunitate, & quo Iure illa sit introducta, & in quo consistat. Immunitatem istam si iuris naturalis dixerimus, proprius à vero aberrabimus. Nam Egyptios nulla Sacerdotibus tributa pependisse sacra testatur pagina, verbis his: Ex eo tempore in præsentem diem in vniuersa terra Egypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit, *Genes. cap. 47.* Ita & Druides Gallorum Sacerdotes immunes fuisse Cæsar ipse satis adstruit *lib. 6. de Bello Gallico*: Druides à bello abesse consueuerunt, inquit, neque tributa vnà cum reliquis pendent, militiæ vacationem omniumque rerum habent immunitatem &c. Ab eadem mente Plutarchus *in Camillo* de Gallis agens: Tantus is metus fuit, vt lege quoque Sacerdotibus militiæ immunitas (præterquam si

(margin: 1. beside "consistat… pro-"; 2. beside "6. de Bello Gallico")

„ bellum Gallicum incidisset) data fuerit. Quæ sanè lex tantæ dein-
„ ceps auctoritatis & roboris fuit, vt ipsi Sacerdotes in perpetuum
„ omnibus immunitatibus gauderent, muneribus vacarent, tributa,
„ exactiones, vectigalia, angarias, & his similia minimè persolue-
„ rent.

3. Atque etiam iure diuino Sacerdotum bona & fundos ab omni tributo & seruitute liberos esse communis est Doctorum sententia. Patet Genesis 47. vbi Ioseph postquam emisset terram AEgypti, subiecit eam Pharaoni præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis; quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & icircò non sunt compulsi vendere possessiones suas, & S. Hyeronimus in illud *Math.* 17. *Christus Dominus pro nobis crucem sustinuit & tributa reddidit*. Nos, inquit, *pro illius bonore tributa non reddimus, & quasi filij Regis vectigalibus immunes sumus.*

Hinc fit vt Ecclesia & Ecclesiasticæ personæ non teneantur, neque compelli possint ad aliqua onera & contributiones. *c. Ecclesia Sancta Mariæ, ibi DD. de constitut. Festus tract. de collect. nu.* 430. *Ægid. Bellam. Cons.* 45. *Abb. Cons.* 13. *nu.* 2. *lib.* 2.

4. Nisi tamen essent ad communem vtilitatem, nec sufficerent laicorum facultates, quamuis in tali euentu non secundum voluntatem & exactionem laicorum, sed præmissa deliberatione Clericorum, & Prælatorum Ecclesiasticorum, & consulto Romano Pontifice (modo periculum non sit in mora) faciendæ essent eiusmodi contributiones, *Paulus Layman lib.* 4. *Theol. moral. tract.* 9. *cap.* 6. *nu.* 6. quod & in Concilio Basiliensi celebrato tempore Eugenij IV. anno 1434. cautum esse legimus apud Illustrissimum Cardinalem Boronium, *tom. xvj. Annal.* quæ sententia etiam nuper placuit sacro Rotæ Auditorio apud Farinaciũ in decisionibus nouissimis.

Sed heu miseriam! eò vsque processit irreligio, vt hæc scita parum aut nihil pensi fiant: Quibus enim subsidijs, intributionibus, oneri-

oneribus Ecclesia iam non est obnoxia?

Indignum tamen est & piaculum Sacerdotes corrupto nostro seculo à secularibus sic potè subiugari, vt à secularibus vix discernantur: de quo etiam suo tempore querebatur Gregorius VII. hæc verba: Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, ac Principum, omniumque fidelium Patres ac Magistros censeri? nonne miserabilis miseriæ esse cognoscitur si Filius Patrem, discipulus magistrũ sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subijcere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlo se ligari posse ac solui? 5.

Decantata multis est misera mors Caroli Martelli qui ob bellum aduersus Saracenos fœliciter administratum belli socijs Decimas Sacerdotibus debitas, ipsis alioqui Galliæ Episcopis dissimulantibus distribuit, iureque iurando sese adstringens si vita suppeteret omnia Ecclesijs se redditurum, id quod minimè fecit, vndè non multo post è vita migrauit sacrilegij crimine ac damnationis æternæ suspitione infamis, cuius cadauer sepultũ in æde S. Dionisij fuit, & paucis post annis serpens seu diabolus serpentis specie in eius sepulchro repertus est, ex cadauere autem & ossibus nihil omninò repertum, teste Card. Baronio; quod multis occasio fuit, inquit, credẽdi eum corpore & anima in inferno ob Sacerdotum oppressionem & Decimarum extorsionem sepultum fuisse. 6.

Fœliciori longè Consilio vsus Carolus Caluus etiam Francorum Rex, qui antequam fato concederet, ablata per eum Ecclesiæ Rhemensi restituit, cuius restitutionis diploma extat apud eundem Baronium, *tom. 10. Annal. anno Christi 845.* enimuerò, si quæ ab Ecclesia Leodiensi nonnullus Princeps summa iniuria abstulit, & ablata sine titulo iusto retinet Caroli exemplo restitueret, melius illius res succederent, neque ditiones ad hostes fidei iusto Dei Iudicio transferrentur. Bona enim Ecclesiæ sunt 7.

ad

num mortuam factam. Alij licentiam bona immobilia per manum mortuam retinendi, & in perpetuum possidendi, voce deducta à Gallica *amortir*, siue *amortizari*, quod est mortuum reddere, Nam quemadmodum excommunicatus, & deportatus mortuus dicitur, quod à cœtu & frequentia hominum excludatur, *cap. plærumque. 12. q. 3. &* exhæredatus etiam quodammodo mortuus censetur, qui inter hæredes amplius non est: ita quoque eam rem mortuam, quæ amplius de vna manu in alteram manum viuentium non transit; sed communi hominum consortio 2. eximitur, cuiusmodi sunt bona in manum mortuam, id est Ecclesiam amortizata. Nam per manum mortuam intelligimus cum P. Peckio viro suæ ætatis eruditissimo *in suo tract. de Amortizatione bonorum*, Ecclesiam, Ciuitatem, Collegium, siue aliud quodcumque corpus, vel Ecclesiasticum vel seculare, quod bonorum capax est: nam sicut semel mortuus denuò, non moritur: ita quoque corpus eiusmodi, etiamsi omnes personæ ex quibus constat, rebus humanis eximantur, & mutentur, immutatum permanet *l. proponebatur. ff. de Iud. l. sicuti. §. in decurionibus. ff. quod cuiusque vniuersitatis nom.* & quemadmodum morientis hominis manus id quod comprehendit firmissimè conclusum tenet, neque facilè remittit: sic etiam quidquid Ecclesia seu corpus eiusmodi semel acquirit, & in manum, hoc est in potestatem suam accipit (quod enim quis in sua manu habet id in sua potestate habere dicitur) non nisi cum magna difficultate & solemnitate in commune hominum commercium post deinde remittit, sed accumulando conseruat, *cap. sine exceptione 2. q. 2. tot. tit. de Reb. Eccles. non alien.*

Per amortizationem ergò siue licentiam à Principe datam retinendi bona immobilia succurritur manui mortuæ, in quantum 3. illius leges relaxantur, *faber. ad l. quoties. nu. 9. in fi. C. de Rei vind.* soletque in Gallia regijs literis apponi clausula hæc, *prouiso quod habita possessione pacifica teneatur eiusmodi bona intra annum &*

diem extra manum suam ponere, & in personam capacem transferri at consensum Regis obtinere.

4 Sed quæritur, an ista concessio repugnet libertati Ecclesiasticæ? & quidem non repugnaret, si leges illæ iuri communi non aduersarentur. Atqui, cum Constantinus Magnus liberum cui-
5. que decedenti fecerit arbitrium (nam antè illum fortè non licuit aut parum vsitatum fuit, *vide Hierony. epist. ad Nepotianum. 7. par. 3. Ambros. epist. 31. lib. 5.*) sanctissimis Ecclesijs quæ velit relinquendi l. 1. C. de sacros. Eccles. vbi appellatione Concilij, Ecclesia intelligitur, eo enim nomine antiquitus in rebus Ecclesiasticis Ecclesiam vsurpari solitam notat præter alios Baronius *tom. 3. Annal. sub An. Christi 321.* videtur quod necessitas petenda amortizationis libertati Ecclesiasticæ aduersetur.

Nam si libertas est facultas faciendi quod cuique placet nisi
6. lege prohibeatur *l. libertas. ff. de statu hom.* certè istæ Constitutiones rerum immobilium acquisitionem auertentes, defendi posse non videntur, imò iniquum & sacrilegij instar est, vt quæ pro salute & requie animarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contulerit, aut testamento reliquerit, ab ijs quos maximè seruare conuenerat in alterum transferantur *cap. benè quidem §. iniquum est enim. 96. dist. & in l. priuilegia. C. de Sacros. Eccles.* vbi Imperator confirmat Canones, & prohibet omnes Constitutiones contrarias, id quod etiam ad cap. perpendimus, de Sent. excom. Cardinalis, *& ad l. Filiusfam. § Diui. ff. de leg. 2.* Bartholus & Iason senserunt, forsan ex ea causa quod (vt ad Constit. incip. Prædecessorum nostrorum part. 3. col. 1. refert Math. de afflict.) Carolus II. Siciliæ Rex, similem legem reuocauit, satisque esse arbitratus est; si bona immobilia cum onere suo ad Ecclesiam transirent *l. fin. C. de exact trib.* quodque tam Bonifacius VIII. quam Fridericus II. & Carolus. IV. omnem istiusmodi altercationem abrumpere volentes, eas Cōstitutiones veluti cum libertate Ecclesiæ pugnantes reiecerunt quibus Ecclesia

clesia vel ab emptione vel acquisitione bonorum abstinere vel semel iustè accepta extra manum suam ponere iubetur, id quod tam ex cap. 1 & cap, fin. *de immunit. Eccles. in 6.* quàm ex eorundem Impp. confirmatione *tom. 3. Concil sub fi. Constantien. Concilij. subiecta*, liquido apparet.

Quod autem Imbert. lib. 4. cap. 6. Instit. foren. refert istius Bonifacij Constitutiones in Gallia, vt & nonnullis alijs in locis non esse receptas, parui momenti est, nisi vel omnem auctoritatem Pontificiam, vel tandem quoque Christum ipsum ex Gallijs & locis in quibus vsu receptæ non sunt excludere velimus. 7.

Nouissimè quoque per Concilium Triden. *sess. 25. de Regul. cap. 3.* talium rerum possessiones confirmatæ videntur, neque obstare argumentum contrarium sentientium, Principem (cuius Imperio & omnes & omnia à mundi vltima origine subdita erant) legem rebus suis sibi placentem imponere posse, *l. in traditionis. ff. de pactis l. In re. C. mandati*, neque odio Ecclesiæ hanc Constitutionem esse latam, sed bono publico, ne maiori rerum immobilium parte ad Ecclesiam translata, laici soli publicis oneribus ferendis satis non sint.

Nam quam legem mihi afferunt (inquit D. Peckius) quâ omnium rerum dominia solius Principis non etiam priuatorum hominum ab ipsa origine fuisse ostendant? cum populo Hæbreo dictum sit quidquid calcauerit pes tuus tuum erit, lõgèque eo dicto antiquior sit priuata cuiusque possessio? Quis ignorat, etiam Sacerdotum bona à quo tempore illi esse cœperunt, & suis legibus stetisse, & sua libertate vsa esse? cur ad originem tantopere refugiunt, à qua toties vltrò posterioribus suis legibus recesserunt Principes? Cur potestatem eorum tam vehementer vrgent, qui summâ deueneratione, religioneq́; ducti, non tantum ea vsi non sunt, sed etiam cuiuscumque generis, bonorũ acquisitionem Ecclesiæ, & liberè permiserunt, & liberaliter adiecerũt? cur bonum publicum adeò extollant, quasi non æquè in multorum paupe-

rum (quos magno numero alit Ecclesia) sustentatione, quam in multorum secularium hominum tenaci sæpe opulentia illud consistat? ponam illis ob oculos exercitus mendicantium ad fores Monasteriorum singulis diebus stipem accipientes, & magno gaudio refectos. Quam nulla verò, vel exigua sit earum eleemosynarum comparatio cum his, quas ab illis accipiunt, qui nunc (prochdolor) Ecclesiæ bona pernicioso exemplo violarunt, sibique tanquam propria & auita adscripserunt testis est Gallia, testis Anglia, tristior testis infœlix hoc nostrum Belgium, in quibus olim maiores nostri, amplificandis Ecclesijs, eorumque prouentibus, intenti, verè commune bonum, hoc est, pacem, & tranquillitatem publicam, fidei vnitatem, & concordiam, fructuum vbertatem, commerciorum abundantiam, & omnium denique rerum prosperitatem Magni Dei beneficio obtinuerunt.

Denique non est satis legem habere pro obiecto bonum
8. publicum, ne videlicet secularium res pro maiori parte in Ecclesiam, quæ ab oneribus secularium immunis est, transfundantur; quia lex regulatur à Iurisdictione statuentis, *c. 2. de constit. in 6. Bero. cons.* 173. *nu.* 56. *lib.* 1. & ideò Principes seculares quantumcumque potestatis, non possunt statuere aliquid contra Ec-
9. clesiasticos, quia Iurisdictionem in eos exercere non possunt, *cap. Ecclesia S. Mariæ, de Constit. c. fin. de Reb. Eccles. non alien. vbi Abb. nu.* 3. *& Socin. cons.* 56. *in pr. lib.* 1. *& cons.* 14. *lib.* 4. vbi dicit communem.

Insuper cum laici & bona laicorum ex particulari priuilegio
10. habeant mixturam cum Ecclesiasticis circa liberum commercium, vt laici possint legare, donare & bona laicalia transferre in Ecclesias & Ecclesiasticas personas, *text. est in fin. c. de Reb. Eccles. in* 6. *c. futuram* 12. *q.* 1. *& d. cap. benè quidem*, & iure ciuili textus est in *l.* 2. *l. illud sancimus l. fin. C. de sacros. Eccles.* non potest fieri per seculares Statutum per quod tollatur istud commercium commu-

næ & acquisitum Clericis, *Pet. de Anchar. cons. 155. optimis rationibus nu. 6. quem citat Card. Tuschus d. conclus. 342. nu. 100.* Multo minus officit quod nonnulli pessimè affecti erga Ecclesiam obijciunt, non esse standum Canonibus quasi emanarint ab ipsis Pontificibus; quia facultas illa data est à Deo Beato Petro & eius successoribus, præter quos omnes fere Canones inducentes & conseruantes libertatem Ecclesiasticam, fundantur in iure diuino, vel sunt Canones Conciliorum generalium, & sufficiat allegare Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 2. de Reform.* quod innouat omnes Canones pro Ecclesiastica libertate compilatos, & contra violatores Ecclesiasticæ libertatis, adeò vt sint hodie omnes Canones conciliares. *Card. Tuschus conclus. nu. 122.* qui si obseruarentur; certé maximum esset (inquit ille) pietatis & Iustitiæ ornamentum Principibus Ecclesiasticis & secularibus; nihilque diminueretur Serenissimis Principibus secularibus de eorum Imperio & potentia, quinimò augeretur; cum sciant causam agere se cum Deo qui eis largitur Imperia, Regna & Dominia, iubeanturque per os Prophetæ vt non tangant Christos suos, neque Christi patrimonium, non cogitantes animarum periculum, & finem rationis reddendæ, & tam Ecclesiasticos quam seculares venturos coram Iudice qui non fallit, nec fallitur vnquam. Et haut satis mihi consto, an cum Petro Iacobi in sua praxi, *tit. ex quibus causis vas. feud. amit.* dicere assereréque debeam eos qui eiusmodi Constitutiones Ecclesiæ libertatem depeculantes edunt, quique eiusmodi constituentibus operam dant, quique ad confessiones eorum audiendas assumpti à talibus legibus non deterrent, excommunicationis alijsque pœnis aduersus tales editis subijci & ad reparationem damni illati obligari, *cap. Nouerit de sent. excom. Auth. Cassa, & irrita C. de sacros. Eccles.*

11. (beside "omnes Canones pro Ecclesiastica libertate compilatos, & con-")
12. (beside "rentur; certé maximum esset")
13. (beside "modi Constitutiones Ecclesiæ libertatem depeculantes edunt,")

CAP. XII.

Non esse dehortandos Christianos à Voluntate benefaciendi Ecclesijs.

SVMMARIVM.

1. *Regulares neutiquam debent conijcere oculos & mentem in bona morientium sed potius ad statum animæ.*
2. *Patres Societatis* IESV *hoc exactè obseruant.*
3. *Hæredipetæ taxantur.*
4. *Multis diuitiæ luxuriæ causa sunt.*
5. *Monentur seculares ne præ amore parentum Ecclesiam & pia loca negligant.*
6. *S. Vdalrici notandum exemplum.*
7. *Quo quisque plus Deo largitur, eo magis à Deo beneficijs cumulatur.*

PErmagnus etiam abusus nonnullorum qui amicos suos morituros reddunt alienos à voluntate benignè faciendi Ecclesijs, aut alia charitatis officia exercendi, hoc prætextu quod iam Ecclesiastici opulentiores sint, & nihilominus, inquiunt, corradunt vndequaque à morituris bona propinquis iure hæreditario debita. Quibus respondeo falsum esse opinionis, Ecclesiasticos qui seculares cœlestibus iuuant præsidijs, passim vt asserunt, esse
1. hæredipetas hæreditatisque alienæ captatores: cum extent Pontificiæ Constitutiones, quibus disertè cauetur Ecclesiasticos præsertim Regulares non debere conijcere oculos in facultates ægrotantium nec insidiari illorum testamentis, sed potius ad statum animæ hominis ad immortalitatem adspirantis. Vnde P. Polanci Iesuitæ *cap. 3. methodi iuuandi infirmos*, extat elogium
2. hoc: Quamuis, inquit, dirigere testatorem opus sit magnæ pietatis

tatis, nostri tamen propter constitutionem, quæ id prohibet, & „
propter rationem, quæ ipsius constitutionis causa fuit testan en- „
tis cōdendis interesse non debent; & minus vtique ad eleemosy- „
nas vel legata nobis relinquenda, aut ijs qui ad nos pertinent, mo- „
rituros exhortari nostris licebit, sed opera pietatis in genere com- „
mendent: & si videbitur expedire, vt quid ad aliqua particularia „
descendat, præsertim consilium petente testatore, ante tempus „
condendi testamenti, ea in primis proponat, quæ maioris chari- „
tatis ad proximos iuuandos magis opportuna videbūtur: quamuis „
circumstantiæ locorum, personarum, & rerum facere possent, vt „
præferri deberent quædam, alioqui posthabenda. Hæc bonus „
Presbyter Polancus.

Huiuscemodi ferè Constitutiones, etiam in alijs Ordinibus emanarunt, tum ab ipsis Ordinum Patribus, tum etiam ab ipsis Romanis Pontificibus. teste Molano *de pijs testamentis cap. 65.*

At enimverò, non est Ecclesia, non sunt Ecclesiastici, non sunt Moncahi, non sunt Clerici, qui captant testamēta morientiū, sed homines seculares, bonis & hæreditatibus aliorum inhiantes, pauperculos, viduasque expilantes. fraudantes, opprimentes, litibus excoriantes, etiam, quod detestandum, cōsanguineos. ecquid mirum? cum præcipuam fœlicitatis humanæ portionem constituunt in diuitijs, atque ad illas omnia studia, omnia vota sua conferunt, quibus conuenit illud Iuuenalis satyra 10. 3.

Prima ferè vota, & cunctis notissima templis,
Diuitiæ, crescant vt opes, & maxima toto
Nostra sit: arca foro, &c.

Isti nimirum sunt qui etiam senes & aniculas miris artibus inescant, putidis obsequijs ijs blandiuntur, quibus apponūt matulam, „
(verbis vtar D. Hieronymi, *Epist. 2. de vita clericorum*) obsident „
lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis, manu „
propria suscipiunt, pauent ad introitum medici, trementibusque „
labijs an commodius habeant suscitantur; & si paululum senex „
vegetior,

„ vegetior, periclitantur, simulataque lætitia mens intrinsecus
„ auara torquetur: timent enim ne perdant ministerium, & viua-
„ cem senem Mathusalem annis comparant! ô quanta apud Deum
„ merces, si in præsenti pretium non sperarent quantis sudoribus
„ hæreditas cassa expetitur? minore labore margaritum Christi
„ emi poterat. Nec sibi blandiantur isti hæredipetæ prolium gra-
„ uitate, aut nepotum numerositate: his enim reponam illud Basi-
„ lij Magni contra diuites auaros: *Homil.* 7. Quis tibi sponsor de
„ liberorum fuit voluntate ac ingenio, vt rectè datis relictisque
4 „ vtantur? Nam multis diuitiæ, luxuriæ sunt causa; an non audistis
„ Ecclesiastem, *Ecclesiast.* 5. dicentem, vidi stultitiam multam &
„ grauem, diuitias in malum custodientibus ipsas conuerti? & rur-
„ sus, *Eccles.* 2. Relinquo homini post me; & quis nouit, si sapiens
„ erit, an stultus? considera itaque ne cum multis ærumnis opes
„ cumulatas peccatorum materiam alijs tradas, duplicique plectaris
„ postmodum pœnâ, & tuorum criminum causa, & aliorum qui-
„ bus causam dederis. Nonnè cunctis liberis coniunctior est tibi
„ anima tua? Nonne omnium familiarissima? huic tu primas da
partes diuitis hæreditatis, vitæ videlicet æternæ diuitem ma-
teriam; deinde filijs victum distribue, non rapinam relinque.

Itaq; noli cedere charitati liberorum vt in æternũ crucieris,
5. comparcere ac potius corradere vis vt ditescant: vnde? ex bonis interdum pauperum, id est ex opimis Sacerdotijs, quibus minus apti sunt quam subulci; obtines Sacerdotia, vt ilicò vendas, & ex pecunijs inde conflatis lacunam rei familiaris per nepotiuos sumptus explere possis. Sed ætatem non ferent diuitiæ istæ, nec tibi vnquam erũt solatio, vel honori. nam vt opes fraude & iniuriâ quęsitæ dulces sint cum illis vteris, quia nullo labore eas comparasti, postea tamen instante morte cum rationes apud confessarium subducendæ, & contra fas quæsita restituenda sunt, vel post mortem obitam cum apud Deum comparere necesse est, & de singulis rationem reddere, amarissimæ erunt, & os tuum implebunt

plebunt calculis, vt Sapiens loquitur *Prouerb.* 17. id est rationum malè habitarum numeris vel supputationibus conscientiâ lædetis: ita enim illud Prouerb. 17. *Suauis est panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo*, explicat doctissimus Salazar. Enimuerò potentissimum Diaboli telum est amor affinium, quod etiam sanctos appetit, quia secundum Apostolum *Ephes.* 5. nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fouet eam. Id quod exemplo S. Vdalrici Episcopi Augustani probat Baronius *tom. 10. annal. an. Christi.* 971. qui licet natus annos vnum & octoginta, totoque vitæ 6.
cursu sanctissimè vixisset, ob id quod nepotem successorem in Episcopatu habere voluerit, antequam sanctorum consortio adscriptus esset, impunitus non fuit, sed in igne expiatorio diu detentus extitit. Non ergo te moueat ambitio, nec liberûm aut propinquorum malè ordinata charitas, multò minus eorum te moueat cogitatio quæ exterius videntur, sed inuisibilia cogita, & ad illa toto corde adspira: quæ enim videntur inquit Apost. 1. *Cor.* 6. temporalia sunt, quæ non videntur æterna.

Accedit quod quò quisq; plus Deo & Ecclesię largitur, eò maioribus à benigna Dei manu cumulatur beneficijs & fauoribus, 7.
vt legimus in Iosue, Dauide, Salomone, & alijs multis, etiam Galliæ Regibus vti compertum est in Clodoueo, Carolo, S. Ludouico, atque alijs aliorum Regnorum Regibus sexcentis. Hinc cum quis facultates suas Ecclesiæ & pauperibus distribuit. *Christus eidem assistit & caua manu accipit*, vt elegãter Imperator Manuel Com. *Nouel.* 2. ait, eiusmodi bona legulatores volunt esse libera à capitatione, censitione, & alijs muneribus, non secus vt ipsa religionis & fidei mater perpetua est, vt inquit Leo Imperator, ita & Patrimoniũ Ecclesiæ seruetur illęsum, *l. Iubemus. C. de sacrosanctis. Ecclesijs*, Dominium enim quęsitũ Ecclesię est Sanctum Sanctorum Domino, *Abb. cap. verum nu. 6. de foro compet.* Quod ideò dicitur vt plęrique intelligant quam proni fuerint Imperatores vt Ecclesiæ benignè facerent, facięntibus fauerent.

Ee CAP.

CAP. XIII.

Ecclesiarum tenuium habenda ratio præsertim ab Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

1. *Hortantur lectores ad Christianam charitatem.*
2. *Insignis locus D. Augustini de eleemosyna facienda.*
3. *Ecclesiastici ad eleemosynas faciendas exhortantur.*
4. *Consanguineis qualiter fauendum.*

Sed eò minus deterrendi dissuadendique sunt Christiani à pijs legatis quò non omnes Ecclesiæ opulentæ sunt, cum de Ecclesijs illud Christi dici possit pauperes semper *habebitis vobiscum*, & illud Deuter. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: Idcircò ego præcipio tibi, vt aperias manum Fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra.* Hoc tibi dictum puta ô Christiane quoad inopes Ecclesias, pauperes vtriusque sexus regulares. Nam
2. si verum est, quo nihil illo propius quod Christus regni sui participem facturus est neminem, nisi qui pro modulo facultatum suarum pauperes in inopia sua subleuarit, beati enim qui intelligunt super egenum & pauperem: & contra, maledicti in ignem æternum ire iubentur qui de substantia sua pauperibus non succurrunt: iudicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; quotusquisque non videat ad æternam beatitudinem necessarium esse egenis succurrere, præsertim Ecclesiasticis qui diu noctuque precibus suis Deum tibi propitium reddunt? Sed quæri potest cum Molano Louaniensi Doctore: Cur Dominus Iesus in lethifera illa sentētia, Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi mâducare: sitiui, & non dedistis mihi potū: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis: infirmus & in carcere, & non visitastis me: de cæteris operibus tam bonis, quam malis tacens, sola recenseat misericordiæ opera, tum vnusquisque inibi referet secundum opera sua? Nodus est apud mul-

tos indissolubilis, sed elegantissimè enodatus à Diuo Augustino *in sermone de terreno & cælesti thesauro*, vbi explicat Iudicem Christum non hoc dicturum bonis, quod non peccauerint, sed ideò regni sui consortes esse, quod etsi peccauerint, peccata tamen sua eleemosynis redemerint, & expiauerint. Contra verò, alios in ignem æternum ablegandos fore, non quia peccatores fuerunt: nam & oues quæ à dextris collocabuntur, tales fuisse constabit: sed quia in fœtidis suis peccatis permanserunt, neque ea ad exempla bonorum pœnitentiæ & misericordiæ operibus extinxerunt. 2.

Sed Augustini verba audiamus. Multa sunt (ait) diuini eloquij documenta, quibus ostenditur multum valere eleemosynam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis quos damnaturus est, imò plus illis quos coronaturus, solas eleemosynas computabit, tanquam dicens. Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vnde vos damnem. Sed ite in regnum: esuriui enim & dedistis mihi manducare. Non ergò itis in regnum, quia non peccastis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis, ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius, traducent eos ex aduerso iniquitates eorum, sine dubio videbunt se iustè damnari pro sceleribus & criminibus suis, & quasi diceret, non inde vnde putatis, sed quia esuriui, & non dedistis mihi manducare: Si enim ab omnibus illis vestris factis auersi, & ad me conuersi illa omnia peccata eleemosynis redemistis, ipsæ eleemosynæ modò liberarent eos, & à reatu tantorum criminum absoluerent: Beati enim misericordes quoniam ipsis misericordia præstabitur; modò autem, ite in ignem æternum iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam, inquit Apostolus.

Quæ sane maximè ponderanda sunt Ecclesiasticis, qui bonis Ecclesiæ ditari non debent, nec illa amicis relinquere iuxta communem Theologorum scholam; ergò qui ditior est Sacerdos, vtar D. Hieronymi verbis, *cap. 46. in Ezechielem*, quam venit ad Sa- 3.

cerdotiũ, quidquid plus habuerit non filijs vel amicis debet dare, sed pauperibus & sanctis fratribus, & domesticis fidei, qui vincũt merita liberorum, vt reddat ea quæ Domini, Domino suo qui loquitur in Euangelio; Quisquis vni istorum fecerit mihi fecerit.

B. Patris Ambrosij dictum mente sæpe recolendum, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, vt per eorũ manus quorũ fidei & integritati sũma omnia tribuebãt ad pauperes peruenirẽt.

Et reuera ita sæpe accidit vt quos bonis ab Ecclesia partis ditauimus, iusto Dei iudicio hos videamus frugiperdas, faciliusque perdere quæ tenacius acquisita sunt.

Itaque S. Augustini regulam probo, scribentis sic consanguineis erogandum esse, non vt diuitias habeant, sed vt non egeant, aut minus egeant. Augustino adstipulatur S. Ambrosius *lib. 1. off. c. 30.* Est etiam, inquit, illa probanda liberalitas, vt proximos seminis tui non despicias si egere cognoscas, non tamen vt illi ditiores fieri velint ex eo quod tu posses cõferre pauperibus: neque enim propterea te Domino dicasti, vt tuos diuites facias, sed vt vitã tibi perpetuam fructu boni operis acquiras. Quare extra articulũ inopiæ, puto intutum esse proximis Ecclesiæ quæsita relinquere nec ad eos talia debere pertinere, *arg. l. 16. ff. Quod met. caus.* vbi quod turpiter quæsitũ est ad compendium hæredis non debere pertinere, nisi contraria adsit consuetudo vbi spoliorũ usus non adest, nam tunc nedũ de fructibus beneficij alijsque bonis ex beneficijs quæsitis testari possunt, illaque consanguineis ad caussas profanas relinquere, sed etiam ipsimet consanguinei succedent in istis bonis ab intestato, *Bonacina tract. de Obligat. consang. puncto 30.*

CAP. XIIII.

Recensentur nonnulli Ecclesiarum mastyges: vltio in eos diuina.

SVMMARIVM.

1. *Malè Deus perdit qui Ecclesiæ suæ iniurijs sunt.*
2. *Malè parta, malè dilabuntur.*

3. *Historia cuiusdam Comitis æternis pœnis damnati propter occupata Ecclesiæ bona.*
4. *Exempla Diuinæ iustitiæ in sacrilegos.*
5. *Insignis sententia Petri Blesensis in mayStges Ecclesiarum.*

SI qui sua pauperibus & Ecclesijs non largiũtur pœnis æuiternis destinati sunt, quantis putes sceleribus & pœnis alligatos qui bonis pro animarum refrigerio relictis Ecclesias spoliant aut militibus diripienda permittunt? Omnes quidem Historiæ tam huius quam superioris ætatis, fidem faciunt non solum deterrima morte periisse qui iniurij Ecclesiasticis extitêre, sed etiam bona per illos acquisita in auras euanuisse. Testor D. Chrysostomum *Epist. ad Ephes.* substãtia, inquit, iniustè acquisita stabilis esse non potest, neque ad bonũ proficit quod de malo cõgregatur. Quemadmodum enim si triticum aut aliud tale secernas cribro, dum huc illuc iactatur, omnia grana paulatim deorsum cadunt, & tandem in cribro nil remanet nisi palea; sic de substantia iniusta nouissimè nil remanet, nisi peccatum. Sicut pisces minores, inquit S. Basilius *Orat. 15. de auaritia,* cedunt in escam maioribus: sic qui pauperes opprimit vt ditescat, ab alio potentiori & ditiori se, ex Dei prouidentia deuorari solet. Atque hæc est minor huius peccati pœna: quia longè grauior illum deinceps manet in futuro seculo persoluenda. Testis historia illa quam ex Petro Damiani refert Illustriss. Cardin. Baronius de quodam Comite ob prædia Ecclesiastica occupata, apud inferos cum hæredibus condemnato. In Teutonicis partibus, inquit, Comes quidam diues ac præpotens bonæ opinionis, & innocentis vitæ prout humanum erat de eius æstimatione iudicium; ante decẽnium fere defunctus est, post cuius obitum quidam Religiosus vir per spiritum ad inferiora descendens, præfatum Comitem in supremo gradu cuiusdam scalæ positum vidit. Aiebat namque, quia scala illa inter stridentes & crepitantes incendij flammas videbatur erecta, atque ad suscipiendos omnes qui ex eadem Comitum genealogia descen-

(Marginal numbers: 1. beside "Testor D. Chrysostomum"; 2. beside "huc illuc iactatur"; 3. beside "Ecclesiastica occupata".)

derent constituta, erat autem tetrum chaos, immane barathrum, infinitè patens, atque in profunda demersum vnde scala producta surgebat. Hoc igitur ordine succedentium sibi series texebatur, vt cum quis eorum nouus accederet, primum interim scalæ gradum teneret, is autem qui illic repertus erat, alijque omnes ad proximum sibi gradum in ima descenderent. Cumque alij atque alij ex eodem genere homines, post carnis obitum ad præfatam scalam per temporum interuallum confluerent, alij protinus ineffabilis iudicis necessitate ad inferiora migrabant, planè dum vir qui hæc contemplabatur causam huius horrendæ damnationis inquireret, & præsertim cur ille Comes sui temporis puniretur, qui tam iustè, tam decenter, tam honestè vixisset? audiuit, quia propter quandam Metensis Ecclesiæ possessionem, quam B. Stephano proauus eius abstulerat, cui videlicet iste iam decimus in hæreditate successisset, omnes isti non diuerso supplicio deputati sunt. Et sicut eos ad peccandum non dispar auaritiæ culpa coniunxit: ita ad perferendas atrocis incendij pœnas cõmune supplicium copulauit. Huc vsque Baronius *ad annum Christi 1055.*

3. Fridericum etiam II. Imperatorem legimus postquam ab Ecclesia Catholica turpiter desciuisset, illamque infestasset post latam ab Innocentio IV. excommunicationis sententiam, sine vllo pœnitentiæ signo miserrimè in Apulia, vt pote à proprio filio suffocatum perijsse, ita referente P. Mathei lib. 5. septimi decret. tit. 3. in Glo. Christiernus Daniæ Rex qui primùm Caluinismum professus est, regno priuatus fuit, & cauea ferrea inclusus miserrimè mortalitatem expleuit vti testatur Florim. Remond. *lib. 4. c. 1. & 8. c. 19.* Elector Saxoniæ nepos eius qui Lutherum defendit, bello captus fuit ab Imperatore Carolo V. atque capitis condemnatus, licet postea priuatione Electoratus pœna commutata fuerit.

4. Nouissimis verò annis, Federicus Comes Palatinus Rheni acerrimus Catholicorum hostis in eandem ignominiæ scenam productus est, quem vidimus Electorali dignitate, tot Florenti-

bus Prouincijs, & bonis omnibus exutum, turpissimum illustrissimæ familiæ suæ in alieno solo extorrem præbere spectaculum.

At superiori æuo illustre patuit diuinæ vindictæ exemplum in milite quodam Germano quem in annalibus Episcoporum Leodien. legimus 300. sociatum militibus per agros & confines monasterij Stabulensis Diœcesis Leodien. perditè grassatum. Is enim ingressus vicum de Lierneux Stabulensibus vicinum prædonis in modum latrocinabatur, ingentiaque illinc spolia reportabat. cuius impijs conatibus vt obsisterent vicini incolæ Stabuletani, ducentos manustrenuos mittunt, qui tamen diuina ita permittente prouidentia fusi fugatique sunt. Sed non idcircò inultus abijt insignis ille prædonum Princeps: quippè qui non multo post irrogatam D. Remaclo dicti monasterij Archimandritæ iniuriam, in rabiem versus est, & quidem talem vt obuios quosque dentibus impeteret, adeoque equi sui aures propriasque manus commanducaret & exinde horrendè diem suum vltimum clauderet.

De alio consimili narrat Victor Vticensis, qui rapaci manu ad Ecclesiam pertinentia depopulatus versus in rabiem, frustatim linguam sibi exedit, & paulo post vitam turpissima morte finiuit.

Quid quod alius visus est eandem ob impietatem in aëra à Dæmone rapi, & tandem ex alto præcipitari? ita asserente Ill.^mo Card. Tuscho tom. 5. cōmun. Conclus. iuris, Conclus. 342. nu. 86.

Taceo Carolum Pipini Regis patrem, Ludouicum Crassum Franciæ Reges, Robertum Comitem Flandriæ, Henricum II. & Helredum Angliæ Reges, Honorichum Hispaniæ Regem, quos omnes vel in vita præsenti horrendis exemplis punitos, vel in futura æternis supplicijs destinatos esse asserunt historiarum monumenta. Vt liceat cum Gregorio Turonen. l. 1. c. 28. de miracul. S. Martini concludere. Audite hæc omnes potestatem habentes, „ sic vestite alios, non vt alios spolietis, hoc adiungite vestris diuitijs, „ vt damna non inferatis Ecclesijs, vindex est enim Deus velo- „

citer seruorum suorum. Id quod superioribus annis animaduersum fuit in Patria hac Ecclesiastica, quæ dum à militibus exederetur, Duces sub quorum signis stipendia, ante an prædas faciebant, vrbes præpotentes hosti suo dedere coacti sunt, ita,

VsVrpat qVI nostra Deo sVa VInDICe perDIt:

& ideo sapienter dixit S. Gregorius Nazianzenus *orat. 9. ad Iulianum*: Opes iniustè partæ cum aliorum lachrymis permiscentur, & ideò oportebit illas euomere. Claudo hoc Caput & Opusculum(quod S. Rom. Ecclesiæ iudicio & censuræ submitto) Petri Blesensis eleganti dicto *ad Præsulem Aurelianensem, aduersus Ecclesiæ mastyges* quod scriptis suis attexuit Baronius: *tom. 11. Annalium, an. Christi 1188.*

Quæ ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient, quam inimicorum spolijs donis triumphalibus ampliare debuerant? putantne insipientes & miseri, quod Christus, qui summa est Iustitia, velit sibi de iniurijs & sacrilegio exhiberi sacrificium: aut sustineat commissa ex his spolia prosperari? si enim testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit: vbi quæso mittendus est, qui bona pauperum, vel Ecclesiæ rapuit, aut fraudauit? pro his & consimilibus filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli: Nunquam Pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium. Ita ille. In quo sapientis Præsulis ac potius Vatis effato, finio: videor enim nisi me fugit ratio, argumentorum affatim attulisse, quibus deterreri possunt Ecclesiæ mastyges ne porrò Ecclesiam Dei, extra quam non est salus, infestent, neve illius iura, iurisdictionem, ac facultates depeculentur, nisi aurum assequi velint Tholosanum.

FINIS.

INDEX RERUM LOCORUMQUE HUIUS operis uberrimus, ita digestus ut labori lectoris auidioris sublenando, materiam eandem duobus tribusue locis tanquam proprijs sedibus positam repræsentet.

Prior numerus paginam, posterior marginis notam significat

a

uentæ.

B.

S. Ber-

Tungris

 ijsque

Con-

Episcopus

F.

H.

gare

L.

Laicos

pro

Pro-

S.

pam

fanas

FINIS INDICIS.

Soli Deo ſit gloria.

M. DC. XXX.